Cicero Attico Sal.

Occupationum mearum vel hoc signum erit, quòd epi- 16
stola librarii manu est. De epistolarum frequentia te nihil accuso. Sed pleræque tantummodo mihi nuntiabant ubi essēs, quòd erant [1] *abs te: vel etiam* significabant, rectè esse: quo in genere maximè *delectarunt duæ* ferè eodem tempore abs te [2] *Bruto datæ. Scire enim volebam* te commodè navigasse. Sed *hæc epistolarum frequentia* non tam ubertate sua, quàm celeritate delectavit. Illa fuit gravis, & plena rerum, quam mihi M. Paccius, hospes tuus, reddidit. Ad eam rescribam igitur, & hoc quidem primùm. Paccio re & verbis ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet. Itaque in intimis est meis, cùm antea notus non fuisset. Nunc pergam ad cætera. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem [3] locum, si modò erit locus. Sed nosti genus dialogorum meorum: ut in oratoriis, quos tu in cælum fers, non mentio potuit fieri cujusquam ab iis, qui disputant, nisi ejus, qui illis notus, aut auditus esset. Hanc ego de Republica quam institui disputationem in Africani personam, & Phili, & Lælii, & Manilii contuli. Adjunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Lælii generos, Scævolam, & Fannium. Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor proœmiis, ut Ἀ*ειστοτέλης* in iis, quos [4] ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem: id quod intelligo tibi placere. Utinam modò conata efficere possim. Rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum & gravem, & plurimi otii, quo ego maximè egeo. Quòd in iis libris, quos laudas, personam [5] desideras Scævolæ, non eam temerè dimovi: sed feci idem, quod in [6] πολιτείᾳ deus ille noster Plato. Cùm in Piræum Socrates venisset

1. *Abs te*] Ita sine argumento, atque sententia, ut ex his nihil aliud possem cognoscere, nisi ubi esses. Malaspina.

2. *Bruto*] Mallem, *Buthroto*: ut ep. 16.

3. *Locum*] Scriptorum meorum.

4. *Ἐξωτερικοὺς*] *Ἐξωτερικοὶ λόγοι* dicebantur ad quos non modò discipuli, sed quilibet è populo admittebatur, qui *ἐξωτερικοὶ* sive extranei dicti sunt: ut *ἀκροαταὶ* ejus discipuli, & familiares; hinc *ἀκροατικοὶ λόγοι* quos habebat ad solos suos discipulos, ac familiares. Salmasius

5. *Desideras*] Lib. II. & III. de Orat. Nam in primo loquitur. Corradus.

6. Πολιτείᾳ] Libris de Republica.

nisset ad Cephalum, locupletem & festivum senem; quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde cùm ipse quoque commodissimè locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere; neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego satius hoc mihi cavendum putavi in Scævola; qui & ætate, & valetudine erat eâ, quâ esse meministi; & iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus à Scævolæ studiis. Reliqui libri [7] τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic [8] joculatorem senem illum, ut noras, interesse sanè nolui. [9] De re filiæ quod scribis, erit mihi curæ. Etenim est luculenta res, Aureliani, ut scribis, [10] indiciis: & in eo me etiam Tulliæ meæ [11] venditabo. Vestorio non desum. Gratum enim tibi id esse intelligo: & ut ille intelligat, curo. Sed scis, qui? cùm habeat [12] duo faciles, nihil difficilius. Nunc ad ea, quæ quæris de [13] C. Catone. Lege

7. Τεχνολογίαν] Artis rationem, disputationem de præceptis artis.

8. *Joculatorem*] In tradendis artis præceptis non solet esse locus jocis. Ea enim tractatio spinosior est, quàm ut sermonis urbanitatem in disserendo recipiat. Ideò Cicero ab ea Scævolam joculatorem exclusit. Bosius. Vulgò *Joculatoriæ disputationi*. Quod non convenit. Nam Τεχνολογία est disputatio spinosa & morosa, à qua removebat Q. Mucium Scævolam joculatorem sive festivum senem. Popma. Omnino legendum *joculatoriæ*. Nam & ars tota puerilis quodammodo est, & Cicero procul dubio respicit tractatum absolutissimum de jocis, qui II. de Oratore continetur. Malaspina quærit, quò referatur τὸ *ut noras*. Respondetur, optimè ad senem posse. J. F. Gronovius, Isaacus Casaubonus, in eadem sententia est. Græv.

9. *De re*] De dote in aliquo fundo, ut puto, collocanda. Corradus.

10. *Indiciis*] Id est, ut indicat Aurelianus.

11. *Venditabo*] Cùm rem tam luculentam emero ipsius causâ. Corradus.

12. *Duo faciles*] Alii *Deo faciles*, perperam. Scis, inquit, quis sit iste Vestorius? cùm te & me utatur facillimis, tamen nihil difficilius ipso. *Duo* pro duos antiquè, ut alibi. Popma.

13. *C. Catone*] Qui Lentulo & Philippo Coss. Tribunus plebis fuerat. Ep. 2. lib. I. fam. & epist. 3. lib. II. ad Q. fr. Corrad.

14. *Lucretio*] Vide ep. 22. lib. VII. Id.

15. *Procilio*] De quo, epist. superiori.

16. *Judicia nosti*] Quàm sint incerta, & quàm sordidi judices. Paulo pòst. Et sanè à Tribunis ærariis absolutus postea fuit. Ep. 13. lib. II. ad Q. fr. Idem.

17. *Hirrus*] Vide epist. 1. lib. VII. Id.

18. *Non mihi ut qui*] Hæc est vetus scriptura, ex qua fortasse legendum *non misi ut qui*. Hoc sensu; Senatus-consultum *Quicunque* posthac, quod Consules de provinciis fecerant, non misi: quia jam intelligebamus enuntiationem Memmii, cùm in Senatu recitavit pactionem quam ipse & competitor Domitius cum Consulibus fecissent, valdè Cæsari displicere, & ob id senatus-consultum non valiturum. Popma. Codices Tornæsianus, & Crusellinus, *non mihi, non mihi, ut quod*: Decurtatus, *non mihi, ut qui*. Mendum ita correximus, *non mihili, ut qui*. Sensus est, senatus-consultum de provinciis Consularibus non est mihi

ge Juniâ, & Licinià ſcis abſolutum: Fufiâ ego tibi nuntio abſolutum iri; neque patronis ſuis tam libentibus, quàm accuſatoribus. Is tamen & mecum, & cum Milone in gratiam rediit. Druſus reus eſt factus à [14] Lucretio, judicibus rejiciendis a. d. v. Non. Quint. De [15] Procilio rumores non boni: ſed [16] judicia noſti. [17] Hirrus cum Domitio in gratia eſt. Senatus-conſultum, quod hìc Conſules de provinciis fecerunt, *Quicunque poſthac*, [18] non mihi *ut qui jam intelligebamus [19] enuntiationem illam *Memmii valdè Cæſari diſplicere*. Meſſalla noſter, & ejus Domitius competitor [20] liberalis in populo valdè fuit. Nihil gratius. Certi erant Conſules. Ac Senatus decrevit, ut [21] tacitum judicium ante comitia fieret. Ab iis [22] conſiliis, quæ erant [23] omnibus ſortita in ſingulos candidatos, magnus timor candidatorum. Sed quidam judices, in his [24] Opimius Veien. Tro. Antius, Tribunos plebis appellarunt, ne injuſſu populi judicarent. [25] Res cedit. Comitia dilata ex ſenatus-conſulto, dum lex de tacito judicio ferretur. Venit legi dies: [26] Terentius interceſſit. Conſules,

mihi *hili*, hoc eſt, id ſenatus-conſultum hili non facio, ut qui jam intellexerim enuntiationem Memmii, cujus causâ factum eſt illud ſenatus-conſultum, valdè Cæſari diſplicere: cujus cùm valdè interſit id ſenatus-conſultum irritum fieri, non dubito quin, quod eo cautum eſt, ad nihilum recaſurum ſit. Tanta eſt enim ejus auctoritas, ut id facilè impetraturus ſit à Senatu. Ex, *mihi*, feci, *mi hili*. Nam ſæpenumero in his etiam epiſtolis, *mi*, μγουυλλως ſcriptum reperias, pro, *mihi*. Bosius. Popmam hìc Grævius præfert.

19. *Enuntiationem*] Cùm C. Memmius pactionem in ſenatu recitavit, quam ipſe, & ſuus competitor Domitius cum conſulibus feciſſent. Vide ep. 18. Manutius.

20. *Liberalis*] Munere dato. Ep. 17. Id.

21. *Tacitum judicium*] Quod factum non ederetur. Hoc autem decrevit ſenatus, ut, qui nullo pudore prohiberentur ab effuſo ambitu, largitionem omitterent; cùm intelligerent futurum, ut irrita eſſet deſignatio, ſi damnati tacito judicio fuiſſent. Erat igitur ad cohibendam largitionis impudentiam quaſi frenum quoddam taciti judicii timore. Idem.

22. *Conſiliis*] Judicium. Idem.

23. *Omnibus*] Jam facta erat in ſingulos candidatos judicum ſortitio, (nam non eadem erant omnium candidatorum conſilia) ſed judicia nondum facta. Idem.

24. *Opimius* VEJEN. TRO. *Antius*] Hoc eſt, *Opimius Vejentina*, *Tromentina Antius*. Nomina ſunt Tribuum, in quarum prima cenſebatur Opimius, in altera Antius. Sæpè enim Tribubus deſignari ſolebant cives Romani. Cælius in epiſt. ad Cic. Fam. VIII. 8. Bosius. Meritò probarunt eruditi viri emendationem Boſii, ſed explicationem non poſſum probare, cùm ex Opimio & Antio duos homines facit. Si duo diverſi homines fuiſſent, ſecundùm Romanam conſuetudinem ſcripſiſſet Cicero *Opimius Veie. & Antius Tro.* Nullum dubium Opimium Antium eundem eſſe hominem, qui duas tribus habuerit, alteram nativitate, alteram adoptione. Græv.

25. *Res cedit*] Vict. Man. *Reſcidit*. Fortaſſe legendum, *Res ad Senatum*. Ursin. Vel, *re S. C. D.* id eſt, re ſenatus-conſulto decretâ. Corr. Lectionem *res cedit*, potiorem ducit Boſius, & ſequitur Mongaltus.

26. *Terentius*] Tribunus plebis. Manut.

pauliſper, nobis gubernantibus, civitas fuerit: quæ mihi gratia relata ſit, nullus dolor me angit; unum omnia poſſe dirumpuntur ii, qui me aliquid poſſe doluerunt: multa mihi dant ſolatia: nec tamen ego de meo ſtatu demigro: quæque vita maximè eſt ad naturam, ad eam me refero, & ad literas, & ſtudia noſtra: dicendi laborem delectatione oratoriâ conſolor. Domus me, & rura noſtra delectant. Non recordor unde ceciderim, ſed unde ſurrexerim. Fratrem mecum & te ſi habebo, [42] per me iſta pedibus trahantur. [43] Vobis ἐμφιλοσοφῆσαι poſſum. Locus ille animi noſtri, [44] ſtomachus ubi habitabat olim, [45] concalluit. Privata modò, & domeſtica nos delectant. Miram ſecuritatem videbis: cujus plurimæ mehercule partes ſunt in tuo reditu. Nemo enim in terris eſt mihi tam conſentientibus ſenſibus. Sed accipe alia. Res [46] fluit ad interregnum; & eſt nonnullus odor Dictaturæ: ſermo quidem multus; qui etiam Gabi-

42. *Per me*] Eſt hîc ἔλλειψις verbi *licet*, quod nonnunquam tamen adhibetur, ut Acad. (II. 29.) *Per me ſtertas licet, ait Carneades, non modò quieſcas.* MALASPINA.

43. *Vobis ἐμφιλοσοφῆσαι*] Inter vos philoſophari. CORRADUS.

44. *Stomachus*] Ubi ſedes iræ fuit. MAN.

45. *Concalluit*] Nonius ita legit, *Concalluit*: pro, callum obduxit: ut jam nulla res me ad iram adducat. Sic in epiſt. ad Varronem: *Conſuetudo callum obduxit ſtomacho meo.* IDEM.

46. *Fluit ad interregnum*] Interrex creabatur, cùm urbs ſine conſulibus, & reliquis patriciis magiſtratibus eſſet, ut is haberet comitia conſularia; iiſque comitiis conſules creati, haberent comitia reliquorum magiſtratuum. Dum autem unus eſſet patricius magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poterant: ita nec creari interrex: quem & à patribus, & auſpicatò creari oportebat. Qua de re aliàs fuſiùs. *Fluit, tendit.* Quia, cùm hæc ſcriberet menſe Novembri, nondum habitis conſularibus comitiis, quæ nec in expectatione eſſent, futurum videbatur, ut res uſque eò protraheretur, ut, anno confecto, cùm nulli conſules eſſent, interrex comitiorum causâ crearetur. Quod ita factum eſt. Nam conſules ex interregno creati Domitius, & Meſſalla, ſicuti Appius quoque, & Ahenobarbus, itémque Pompeius, & Craſſus. IDEM.

47. *Timidos*] Quia à Pompeio, ad quem dictaturam delatum iri putabant, ſibi timentes, ſi ejus amiciſſimum Gabinium damnaſſent, abſolverunt. Ad Q. fratr. ep. 7. lib. III. IDEM.

48. *Quin foris eſſet*] Nam cùm ex a. d. XII ad IV Kal. Oct. ad urbem fuiſſet Gabinius, in eámque noctu ingreſſus eſſet: nec niſi decimo die, in Senatum veniſſet: Syllam fortaſſe potuit latere: foris illum eſſe, qui intus eſſet, credentem. Verùm, quid tanti erat ad nominis delationem, ut foris eſſet? Nihil opinor: ſed hiſce verbis Cicero conſilium Syllæ voluit indicare: qui ut Gabinium à Triumphi cogitatione deduceret, properaverit in judicium adducere: neſciens, jam tum illum, ſpem ejus abjeciſſe, atque in urbem ingreſſum. Atque hæc quidem loci hujus ſententia videtur, non ſanè jacens. In libro tamen Faerni, *Fortis eſſent* ſcriptum eſt. Ubi ſi *Fortes* emendetur, ad judices referri poſſit, quos timidos idem proximè appellavit. Eſt, inquit, nonnullus odor Dictaturæ, ſermo quidem multus: qui etiam Gabinium apud timidos judices adjuvit: quos tamen Sylla non dubitans quin fortes

Gabinium apud [47] timidos judices adjuvit. Candidati Consulares omnes rei ambitus. Accedit etiam Gabinius: quem P. Sylla, non dubitans [48] quin foris esset, postulârat, [49] contrà dicente & nihil obtinente Torquato. Sed omnes absolventur; nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit. [50] Hoc tamen agitur severiùs. Itaque [51] indicia calent. M. Fulvius Nobilior condemnatus est. Multi alii [52] urbani [53] ne respondent quidem. *Quid aliud novi?* [54] & tamen. Absoluto Gabinio *stomachantes alii judices*, horâ pòst, Antiochum Gabinium, *nescio quem* è [55] Sopolidis pictoribus, libertum, ac accensum Gabinii, lege Papiâ condemnarunt. Itaque dixit statim reus, lege Majestatis, [56] σὲ σ' οἶδ' Ἄρης ἅμα Παφίῃ? Pontinius vult a. d. IV Non. Novemb. triumphare. Huic obviam Cato, & Servilius Prætores apertè, & Q. Mucius Tribunus. Negant enim [57] latum de imperio: & est latum hercule [58] insulsè. Sed erit

---

tes essent, hominem postulârat. Hanc scripturam adjuvant, quæ sequuntur, *Sed omnes absolventur*; hoc est, ita timidi sunt, ut non solùm Gabinius evasurus sit, sed planè omnes: *nisi si quis* hominem occiderit. Item *illud*, quod est in libro III ad Q. fratrem, extremâ primâ epistolâ. *Gabinius a. d.* IV. K. *Octob. noctu in urbem introivit: & hodie* (existimatur autem fuisse III. Kal.) *octavâ horâ cùm edicto C. Alfii, de majestate eum adesse oporteret: concursu magno & odio universi populi, penè afflictus est.* Sic ibi. Quod ergo notum erat universo populo, Gabinium Romæ atque adeò in urbe esse, id Sylla ignoraverit? Malaspina.

49. *Contrà dicente*] Contenderunt Torquatus, & Sylla: ut accusandi munus alter alteri eriperet. Obtinuit Sylla: cùm id antè non speràsset. Manutius.

50. *Hoc tamen*] Tantùm de parricidiis accipiunt Corradus & Mongaltus: sed aliter Manutius; nam γενικῶς de omnibus reis.

51. *Indicia*] Sic antiqui libri, non, *Judicia*. Quotidie, inquit, nocentes homines indicio produntur. Idem.

52. *Urbani*] Homines faceti, qui alios nigro sale defricant. Grævius.

53. *Ne respondent quidem*] Hoc est, non se sistunt in judicio, sed in exilium eunt. Gronon. Observ. II. 8.

54. *Et tamen*] Lege: *est tamen*. Muretus. Sed hæc ita sunt supplenda: Et tamen aliquid est novi. Et post *tamen* distinctio locanda. Grævius.

55. *Sopolidis*] Pictor fuit celeberrimus tempore Ciceronis, cujus meminit Plinius XXXV. 40. Bosius.

56. Οὐ σ' οἶδ'] *Nónne scio te, ô Mars, consuesse cum Paphia*, sive *Venere?* Videntur hæc verba esse è vetere poeta: sed ex quo, aut quomodo explicanda sint, libenter fateor me ignorare. Nam doctorum hominum conjecturæ non satisfaciunt, nec melius aliquid ipse reperio. Ernest. Neque habes quò referas hæc verba, *lege Majestatis*. Omnino deesse aliquid videtur.

57. *Latum de imperio*] Unius diei, quo ingressus urbem, triumphum ducturus erat. Alioqui imperium habere intra urbem licebat nemini. Hujus generis exemplum apud Livium lib. XLV. his verbis: *Tribus his omnibus decretus ab senatu triumphus: mandatúmque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset.* Manutius.

58. *Insulsè*] Quia legem de imperio Pontinii Serv. Galba prætor clam ante lucem

erit cum Pontinio [59] Appius Consul. Cato tamen affirmat, se vivo illum non [60] triumphare. Id ego puto, ut multa ejusdem, ad nihil recasurum. Appius [61] sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat. [62] Paccianæ epistolæ respondi: cognosce cætera. Ex fratris literis incredibilia quædam de Cæsaris in me amore cognovi: eáque sunt ipsius Cæsaris uberrimis literis confirmata. Britannici belli exitus expectatur. Constat enim aditus insulæ esse munitos mirificis molibus. Etiam illud jam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illâ insulâ, neque ullam spem prædæ, nisi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te literis, aut musicis eruditos expectare. [63] Paulus in medio foro basilicam jam penè texuit iisdem antiquis columnis: illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam. Quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil glorioſius. Itaque Cæsaris amici (me dico & Oppium: disrumparis licet) in monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus, & usque ad trium Libertatis explicaremus, [64] contempsimus sexcenties H-S. [65] Cum privatis non poterat transigi minore pecuniâ. Efficiemus rem glorioſissimam. Nam in campo Martio septa Tributis comitiis marmorea sumus & tecta facturi; eáque cingemus excelsâ porticu; ut mille passuum conficiatur. Simul adjungetur huic operi villa etiam publica. Dices, quid mihi hoc monumentum proderit? Quid? celabo te res Romanas? Non enim te puto de [66] lustro, quod jam desperatum

cem tulerat: quod à Dione traditum est: & agi quidquam cum populo ante horam primam, leges vetabant. IDEM.

59. *Appius Consul*] Ejus amicissimus, ut apparet ex ep. 9. lib. III. Fam. IDEM.

60. *Triumphare*] Bessarionis liber, *Triumphaturum*. Utrumque rectè. IDEM.

61. *Sine lege*] Curiata: qua populus proficiscentibus in provincias imperium dabat. Ep. 9. lib. I. ad Lentulum, & ep. 2. lib. III. ad Q. fr. IDEM.

62. *Paccianæ epistolæ*] Hîc apparet, divulsa esse, & alieno loco agglutinata harum epistolarum membra. Nam Paccianæ epistolæ incipit respondere in epistola proxima superiore: ut, in hac quo modo respondere possit, non videam. IDEM.

63. *Paulus*] L. Æmilius Paulus, qui duas basilicas, veterem restituit, novam extruxit. IDEM.

64. *Contempsimus*] Id est, liberaliter insumpsimus, & quasi profudimus centies sestertiûm in monumenti illius ædificationem. BOSIUS.

65. *Cum privatis*] Qui vendebant aream. CORRADUS. Faërnus delebat *non*, auctoritatem secutus veteris libri.

66. *Lustro*] Censores post censum urbem lustrabant: sed censum, lustrúmque simul tribuni plebis obnuntiationibus impediebant. Epist. 10. MANUT. Sic in marmore Ancyrano Augustus: *Lustrum post annum quadragesimum feci*, cùm tamen interea temporis Censores fuerint. H. NORIS. in *Comment.* ad Cenotaphia Pisana.

tum est, aut de judiciis, quæ lege [67] Coctia fiant, quærere. Nunc te objurgari patere, si jure. Scribis enim in epistola, quam C. Decimius mihi reddidit Buthroto datam, in Asiam tibi eundum esse te arbitrari. Mihi mehercule nihil videbatur esse in quo tantulum interesset, utrùm per procuratores ageres, an per ipsum; ut abis toties, & tam longè abes. Sed hæc mallem integrâ re tecum egisse. Profectò enim aliquid egissem. Nunc reprimam susceptam objurgationem. Utinam valeat ad celeritatem reditûs tui. Ego ad te propterea minùs sæpè scribo, quòd certum non habeo ubi sis, aut ubi futurus sis. Huic tamen nescio cui, quòd videbatur is te visurus esse, putavi dandas esse literas. Tu, quoniam iturum te in Asiam esse putas, ad quæ tempora te expectemus, facias me certiorem velim, & de Eutychide quid egeris.

67. *Coctia*] Alii *Plotia*, quæ parum convenit, & *Coctia* nulla est: nisi à L. Valerio Cotta, *Cottia* factum sit, ut eadem sit, quæ Aurelia; quod vix puto. Malaspina. Non erat quare Malaspina dubitaret, à Cotta posse *Coctiam* dici. Nam eodem modò à Regulo Cottio Alpium pars dicitur Alpes *Cottianæ*, & *Coctianæ* apud Tacitum Hist. IV. 68. Ernestus. Ex literarum charactere, & rei veritate deprehendi legendum *Cœlia*, & intelligi legem tabellariam in perduellionis etiam crimine, de qua videndus Pighius ad annum Urbis 646. J. F. Gronovius.

Cicero Attico Sal.

O Expectatas mihi tuas literas! ô gratum adventum! ô constantiam promissi, & fidem miram! ô navigationem amandam! quam mehercule ego valdè timebam, recordans superioris tuæ transmissionis [1] δέρρεις. Sed nisi fallor, citiùs te, quàm scribis, videbo. Credo enim te putasse, tuas mulieres in Apulia esse: quod cùm secus erit, quid te Apulia moretur? nam Vestorio dandi sunt dies, & ille Latinus ἀπιτισμὸς ex intervallo regustandus. Quin tu huc advolas, & invisis illius nostræ Reipublicæ [2] germanæ. Putavi de nummis, ante comitia 17

1. Δέρρεις] *Pelles, involucra.* Sensus est, recordans quibus cum impedimentis conflictatus sis, cùm transires mare, in Asiam contendens. J. F. Gronovius.

2. *Germanæ. Putavi de*] Etsi nihil immutavi: tamen non dubito, quin ita legendum sit: *Germanam. Peti vide.* Ut sit sensus. Advola, mi Attice, & invise simile rempublicam reipublicæ illi nostræ, quam laudare solebamus. Dicit enim, *Germa-*

tributim uno loco divisis palàm. Vide absolutum Gabinium: [3] detur esse valiturum. De Messalla [4] quod quæris, quid scribam nescio. Nunquam ego vidi tam pares candidatos. Messallæ copias nosti. Scaurum Triarius [5] reum fecit. Si quæris, nulla est magnopere commota [6] *συμπάθεια*: sed tamen habet Ædilitas ejus memoriam non ingratam; & est pondus apud rusticos in patris memoria. Reliqui [7] duo plebeii sic exæquantur, ut Domitius valeat amicis, adjuvetur tamen non gratissimo munere; Memmius Cæsaris commendetur [8] *militibus*, [9] Pompeii Galliâ nitatur: quibus si non valuerit, putant fore aliquem, qui comitia in adventum Cæsaris detrudat, [10] Catone præsertim absoluto. Ab Quinto fratre, & à Cæsare accepi a. d. IX. Kal. Novemb. literas, confectâ Britanniâ, obsidibus acceptis, nullâ prædâ, imperatâ tamen pecuniâ, datas à litoribus Britanniæ proximo a. d. VI Kalend. Octob. Exercitum Britanniâ reportabant. Q. [11] Pilius erat jam ad Cæsarem profectus. Tu, si aut amor in te est nostri, ac tuorum, aut ulla [12] veritas, aut si etiam sapis, ac frui tuis commodis cogitas, adventare & propè adesse jam debes. Non mehercule æquo animo te careo. Te autem quid mirum, qui Dionysium tantopere desiderem? quem quidem

---

Germanam illius nostræ reipublicæ, cum ironiâ, quasi prorsus dissimilem, & planè mutatam. Deinde sequitur: Vide magistratus peti: nummis ante comitia tributim uno loco divisis palàm. Quæ verba si quis diligentiùs expendat, singula emphasim habere cognoscet. Vide item, inquit, Gabinium absolutum, cùm nocentissimus esset. Concedatur etiam, ut auctoritate floreat, & gratiâ. MANUTIUS, qui solus hîc Mongalto & Grævio probatur. Omnes quidem fatentur locum esse corruptum: sed, cùm alii alia verba supponunt, ipsam quoque corrumpunt sententiam, non interpretantur. OLIVETUS.

3. *Detur esse valiturum*] Absolutus est, inquit Gabinius, homo nocentissimus; detur etiam illud, fore ut in republicâ floreat: auctoritatéque & gloriâ valeat. Verumtamen de hoc non valde laboro. MALASPINA.

4. *Quod quæris*] Num futurus sit consul. CORRADUS.

5. *Reum*] De ambitu. Nam de repetundis jam fuerat absolutus. Ep. 16. & ep. 2. lib. III. ad Q. Fr. MANUTIUS.

6. *Συμπάθεια*] Animi commotio ex commiseratione.

7. *Duo plebeii*] Nam Messalla, & Scaurus patricii; plebeii Domitius, & Memmius. Ergo cum Messalla Scaurus, cum Domitio Memmius contendebat. MANUT.

8. *Militibus*] Quos ad suffragia sæpe venisse legimus. CORRADUS.

9. *Pompeii Galliâ*] Galliâ Transpadanâ, in quâ Pompeius Strabo, pater Magni, coloniis jus civitatis & suffragii dederat. POPMA. Mihi scribendum videtur, *Pompeii gratiâ*. MURETUS.

10. *Catone*] Cùm Cato, qui *tribunus* plebis biennio antè comitia *in annum* sequentem detrusérat, sit absolutus. Ad Q. Fr. ep. 5. lib. II. MANUTIUS.

11. *Pilius*] Piliæ propinquus, quam Atticus habebat in matrimonio. IDEM.

12. *Veritas*] Ut præstes quod promisisti.

quidem abs te, [13] cùm dies venerit, & ego, & Cicero meus flagitabit. Abs te proximas literas habebam Epheſo a. d. v. Id. Sext. datas.

13. *Cùm dies venerit*] Qui dies? An promiſſi Dionyſii? ita ut hominem ſecum habere Atticus ad certum tempus voluerit, pòſt M. Tullio cedere? Id ego vix credo: cùm præſertim proximâ ſuperiore epiſtolâ, quæ non multò antè ſcripta eſt, Cicero Atticum roget, ut Dionyſium mittat, de certâ die nihil dicat. Placeret, *Quo die veneris*. Ut deſiderii vis ac magnitudo indicetur eorum, qui ne unum quidem, aut alterum diem expectaturi eſſent: ſed eodem quo veniſſet, hominem efflagitaturi. MALASPINA.

CICERO ATTICO SAL.

PUTO te exiſtimare me, nunc oblitum conſuetudinis & inſtituti mei, rariùs ad te ſcribere, quàm ſolebam: ſed, cùm loca & itinera tua nihil habere certi video, neque in Epirum, neque Athenas, neque in Aſiam, neque cuiquam, niſi ad te ipſum proficiſcenti, dedi literas. Neque enim ſunt eæ epiſtolæ noſtræ, quæ ſi perlatæ non ſint, nihil ea res nos offenſura ſit: quæ tantum habent myſteriorum, ut eas ne librariis quidem ferè committamus. [1] Lepidum quò excidat. Conſules flagrant infamiâ, quòd C. Memmius candidatus [2] pactionem in Senatu recitavit, quam ipſe & ſuus competitor Domitius cum Conſulibus feciſſent, utì ambo H-S quadragena Conſulibus darent, ſi eſſent ipſi Conſules facti, niſi [3] tres Augures dediſſent, qui 18

1. *Lepidum quò* res cadat] Sic puto hunc corruptum locum eſſe emendandum, ſententiâ, opinor, non ineptâ. Lepidum (inquit) ſpectaculum, videre quò res cadat. LAMBINUS. Nihil muto; manuſcriptis hæreo. *Excidat*, impersonale eſt. JUNIUS. Poſſes conjicere, *ne lepidum quod excidat*, pro *ne aliquid lepidarum rerum & verborum quæ ad te ſcribo, aliis innoteſcat, & ſpargatur in vulgus*. GRÆVIUS. Delenda hæc verba Muretus cenſet. Victorium ſequimur.

2. *Pactionem*] Pactio hæc erat: Memmius, & L. Domitius Ahenobarbus conſules fieri cupiunt: Appius autem Claudius, & L. Domitius Ahenobarbus conſules id agunt, ut conſulatu functi in provincias mittantur. Promittunt igitur, ſe operam daturos, ut conſules creentur Memmius, & Calvinus: illi contrà, ſe tres augures daturos, qui dicerent ſe affuiſſe, cùm lex Curiata de imperio provinciarum ad populum ferretur: & duos conſulares, qui ſe affuiſſe dicerent, cùm Senatus-conſultum de ornandis, & inſtruendis conſularibus provinciis ſcriberetur: niſi hoc feciſſent, H-S. darent ambo quadringena Appio, & Ahenobarbo. MANUTIUS.

3. *Tres augures*] Nam, cùm lex ad populum fertur, adſint neceſſe eſt, qui dicant licere

qui se affuisse dicerent, cùm lex Curiata ferretur, [4] quæ lata non esset; & duo Consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, [5] cùm omnino ne Senatus quidem fuisset. Hæc pactio non verbis, sed [6] nominibus & [7] perscriptionibus, multorum, [8] tabulis cùm esse facta diceretur, prolata à Memmio est nominibus [9] inductis, auctore Pompeio. Hîc Appius [10] erat idem. *Nihil* sanè jacturæ. Corruerat [11] alter, & planè, inquam, jacebat. Memmius autem, diremptâ [12] coitione invito Calvino, planè refrixerat; & eo magis nunc cogitare dictaturam, tum favere justitio, & omnium rerum licentiæ. Perspice æquitatem animi mei, & ludum, & contemptionem [13] Seleucianæ provinciæ, & mehercule cum Cæsare suavissimam

licere per Jovem legem ferri. Tres autem planè, cùm lex curiata ferebatur, quia triginta Curiæ tres veteres Tribus repræsentabant. Veteres autem Tribus suum quæque Augurem habuit. IDEM.

4. *Quæ lata non esset*] Augures igitur pretio erant adducendi, ut latam mentirentur. Non licebat autem sine curiatâ lege militare imperium in provinciis habere. IDEM.

5. *Cùm omninò*] Nam revera neque lata curiata lex, neque senatus fuerat: sed, quasi utrumque fuisset, ita provinciarum administrationem, & lege curiatâ, & S. C. se daturos consulibus promittebant Memmius, & Calvinus, si modò ipsi essent consules facti. IDEM.

6. *Nominibus*] *Nomina* propriè dicta de hujusmodi debitis quæ sine usuris contrahuntur. Ideò & pararii proxenetæque interpositi, qui pecuniam mutuam quærentibus, quam sine usurâ acciperent, creditores conciliarent, qui sic dare vellent. Quorum proxenetarum operâ non erat opus his qui pecuniam fœnore sumere cogitarent. Rectà enim ad mensam argentariorum ibant, atque inde, si pignoribus & hypothecis idoneè cavere poterant, sumebant quantum vellent. SALMASIUS, de usuris cap. 6.

7. *Perscriptionibus*] *Perscriptiones* sunt, ut nunc loquuntur, assignationes ad trapezitam seu mensam. Solutiones, inquit Salmasius, apud antiquos Romanos fieri solitas legimus duobus modis, vel ex *arcâ*, vel ex *mensâ*. Qui domo solvebat, ex arcâ suâ pecuniam sumere intelligebatur, quæ ibi sine fructu recondita servabatur. Qui ex mensâ numerationem faciebat, duplici modo eam facere solitus. Aut enim à mensario accipiebat fœnore, qui pro ipso summam quam desiderabat, & cui numeratam illam vellet, dependebat. Tunc debitor talis summæ mensario existebat. Aut pecuniam ipse habebat apud mensam depositam. Ex quâ summâ quantam summulam vellet, pro ipso numerabat mensarius, qui tanto minoris exinde manebat debitor. Hoc *scribere*, & *perscribere* dicebatur, & inde *scriptura mensæ*. Salmasius, de fœnore Trapezitico, *lib.* I. Cicero pro Flacco: *Pecuniam in ædem sacram reficiendam se perscripsisse aiunt*. GRÆVIUS.

8. *Tabulis*] Vide Salmasium in cap. 6. libri modò laudati. IDEM.

9. *Inductis*] E codice deletis. CORRADUS. Nominibus scilicet eorum, qui hæc pacti erant, & suam interposuerant fidem.

10. *Erat idem*] Ita non commovebatur, quasi nihil turpe commisisset. MANUTIUS.

11. *Alter*] Domitius Ahenobarbus. ID.

12. *Coitione*] Coitiones candidatorum quæ sint, nunc omnibus notum. *Invito* autem *Calvino*, quia suo consilio contra Domitii voluntatem eam pactionem in Senatu recitarat. VICTORIUS.

13. *Seleucianæ*] Macedoniæ, quam olim provin-

vissimam conjunctionem; hæc enim me una ex hoc naufragio tabula delectat. Qui quidem Quintum meum, tuúmque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratiâ? non secus ac si ego essem imperator. [14] Hibernam legionem eligendi optio delata commodùm, ut ad me scribit. Hunc tu non ames? quem igitur [15] istorum? Sed heus tu, scripserámne tibi me esse legatum [16] Pompeio? & extra urbem quidem fore ex Idib. Januariis? Visum est hoc mihi ad multa quadrare. Sed quid plura? coràm, opinor, reliqua; ut tu tamen aliquid expectes. Dionysio plurimam salutem: cui quidem ego non modò servavi, sed etiam ædificavi locum. Quid quæris? ad summam lætitiam meam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius adventu cumulus accedit. Quo die [17] ad me venies, tu, si me amas, apud me cum tuis maneas.

provinciam contempsit, & quam vocat Seleucianam à Seleuco Nicanore victore Lysimachi, qui tum Thraciam & Macedoniam in ditione habebat. *Justin.* lib. XVII. cap. 2. J. F. Gronovius.

14. *Hibernam legionem*] Quidam *Regionem* sine causâ, præsertim repugnantibus libris. Nam cùm suas legiones Cæsar, quò faciliùs provinciam in officio contineret, non unum in locum ad hibernandum mitteret, optionem Quinto dabat, ad quam vellet proficiscendi: ita ut integrum illi esset, in propinquiora loca, & munitiora venire. Malaspina.

15. *Istorum*] Optimatum? Ep. 5. h. l.

16. *Pompeio*] Ituro in Hispaniam.

17. *Ad me*] Hoc aut abundat; aut explana, in aliquam villarum mearum, ubi tum ero. Manutius.

EPISTOLARUM AD ATTICUM

LIBER V.

CICERO ATTICO SAL.

1 EGO verò & tuum [1] in discessu vidi animum, & meo sum ipse testis: quo magis erit tibi videndum, ne quid novi decernatur; ut hoc nostrum desiderium ne plus sit annuum. [2] De Annio Saturnino curasti probè. [3] De satisdando verò te rogo, quoad eris Romæ, tu ut satisdes. Et sunt aliquot [4] satisdationes secundùm mancipium, in his & Memmianorum prædiorum, vel Atilianorum. De Oppio factum est ut volui, & maximè quòd DCCC [5] aperuisti: quæ quidem ego utique vel [6] versurâ factâ solvi volo; ne extrema exactio [7] nostrorum nominum expectetur. Nunc venio ad [8] transversum illum extremæ epistolæ tuæ versiculum, in quo me

1. *In discessu*] Cùm à tuo complexu in Tusculano divulsus sum, in provinciam Ciliciam proficiscens. MANUTIUS.

2. *De Annio Saturnino*] Hanc alii quærent historiam, nisi fortè T. Annium Milonem significet per notam. CORRAD.

3. *De satisdando*] Satisdare dicitur qui fidejussores dabat, qui litis eventum in se recipiebant, ita ut quanti condemnatus esset reus, ipso non solvente, is qui fidem suam interposuerat pro reo solveret. GRÆV.

4. *Satisdationes secundùm mancipium*] Quid rei sit apud Jurisconsultos, vide Cujacium, *Observat.* X. 4, & Salmasium, *de modo usurar.* cap. 16.

5. *Aperuisti*] Exposuisti, ostendisti te daturum, si urgeret. Ep. 4. MANUTIUS.

6. *Versurâ factâ*] Versuram facit, qui, vetus ut æs alienum solvat, novum contrahit: fit enim conversio quædam, & mutatio creditoris. IDEM.

7. *Nostrorum nominum*] Pecuniæ mihi ab aliis debitæ. IDEM.

8. *Transversum*] Cùm pagina, versibus

me admones de sorore: quæ res se sic habet. Ut veni in Arpinas, cùm ad me frater venisset, in primis nobis sermo, isque multus, de te fuit: ex quo ego veni ad ea, quæ fuerамus ego & tu inter nos de sorore in Tusculano locuti. Nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quàm tum meus frater erat in sororem tuam; ut etiam, si qua fuerat ex ratione sumpta offensio, non appareret. *Illo sic die.* Postridie ex Arpinati profecti sumus. *Ut in Arcano Quintus* maneret, [9] dies fecit: ego *Aquini, sed prandimus in Arcano.* Nosti hunc fundum. Quò *ut venimus, humanissimè* Quintus, Pomponia, inquit, tu invita [10] mulieres, ego arcivero pueros. Nihil potuit, mihi quidem ut visum est, dulcius, idque cùm verbis, tum etiam animo, ac vultu. At illa, audientibus nobis, Ego sum, inquit, hîc hospita. Id autem ex eo, ut opinor, quòd anteceserat [11] Statius, ut prandium nobis videret. Tum Quintus, En, inquit mihi, hæc ego patior quotidie. Dices, quid, quæso, istuc erat? Magnum; itaque me ipsum commoverat: sic absurdè & asperè verbis vultúque responderat. Dissimulavi dolens. Discubuimus omnes præter illam: cui tamen Quintus de mensâ misit: illa *rejecit.* Quid multa? nihil meo fratre lenius: nihil asperius tuâ sorore mihi visum est: & multa prætereo, quæ tum mihi majori stomacho, quàm ipsi Quinto fuerunt. Ego inde Aquinum; Quintus *in Arcano* remansit, & Aquinum ad me postridie manè *venit:* mihíque narravit, nec secum illam dormire voluisse; &, cùm discessura esset, fuisse ejusmodi, qualem ego vidissem. Quid quæris? vel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei,

bus recto ordine subsequentibus completa, nihil ultrà capit; tum, si quid ejusmodi supereſt, quod multorum verborum non sit, scribere solemus de transverso. Idem.

9. *Dies*] Non dies in vesperum jam vergens, (nam & Marcum fratrem eadem causa in Arcano retinuisset) sed dies *festus* Arcani pagi, quem sibi Quintus in *suo fundo* celebrandum putavit. Idem.

10. *Mulieres, ego pueros*] Quas mulieres obsecro? Terentiámne ac Tulliam? Quid? hæ invitatæ fuerunt, quasi hospites? Neque enim dicit *voca*, sed *invita.* Suspicio ergo mea illa est, Pomponiam *mulieres illas invitare jussam fuisse*, quæ Arcis officii causâ, salutatum venerant: quas Quintus humanitate ac liberalitate adductus, invitari volebat, mulieres à muliere: itaque & *Viros*, citiùs quàm *Pueros*, esse legendum: ut Arcanos item accipiamus. *Arcæ* porrò fuere, haud procul Arpino, ad Melpham fluvium positæ: qui ex Apenino defluens, pérque planiciem suas undas agens, sub Fregellis denique, Liri jungitur. Hoc oppidum, hodie quoque Arcæ dicitur, unde Arcanus: ut à Thebæ, Thebanus. Malasp.

11. *Statius*] Libertus Quinti. *Videret?* Pararet, curaret. Manutius.

ei, meo judicio, illo die defuiſſe. Hæc ad te ſcripſi fortaſſe pluribus, quàm neceſſe fuit, ut videres tuas quoque eſſe partes inſtituendi, & monendi. Reliquum eſt, ut, ante quàm proficiſcare, mandata noſtra exhaurias; ſcribas ad me omnia; Pontinium extrudas; cùm profectus eris, cures ut ſciam. Sic habeas, nihil mehercule te mihi nec carius eſſe, nec ſuavius. A. Torquatum amantiſſimè dimiſi *Minturnis*, optimum virum: cui me ad te ſcripſiſſe aliquid, in ſermone *ſignifices* velim.

CICERO ATTICO SAL.

2 ANTE diem VI Id. Mai. cùm has dabam literas, ex Pompeiano proficiſcebar, ut eo die manerem in Trebulano apud Pontium. Deinde cogitabam, ſine ulla mora, juſta itinera facere. In Cumano cùm eſſem, venit ad me, quod mihi pergratum fuit, noſter Hortenſius: cui depoſcenti mea mandata cætera universè mandavi; illud propriè, ne pateretur, quantum eſſet in ipſo, prorogari nobis provincias. In quo eum tu velim confirmes, gratúmque mihi feciſſe dicas, quòd & venerit ad me, & hoc mihi, prætereáque ſi quid opus eſſet, promiſerit. Confirmavi ad eam cauſam etiam Furnium noſtrum; quem ad annum Tribunum plebis videbam fore. Habuimus in Cumano quaſi puſillam Romam: tanta erat in his locis multitudo; cùm interim [1] Rufio noſter, quòd ſe à Veſtorio obſervari videbat, ſtratagemate hominem percuſſit: nam ad me non acceſſit. Itáne? cùm Hortenſius veniret, & infirmus, & tam longè,

1. *Rufio noſter*] Hic eſt C. Sempronius Ruſus, de quo in epiſt. Fam. ep. 8. lib. VIII. quem hîc per jocum appellat Rufionem. Quoniam autem cum Veſtorio neſcio quid ei erat controverſiæ, arbitrum ſtatuerant Ciceronem, ut cognoſceret. Deinde, cùm Sempronius ſe à Veſtorio videret obſervari; (obſervabat autem Veſtorius, ut, ſi Ciceronem Sempronius adiiſſet, ſtatim & ipſe accurreret, tranſigendæque controverſiæ arbitrum moneret: quod Rufio nolebat, ut qui ſe non bonam habere cauſam intelligeret) hominem ſtratagemate fefellit: nam ad Ciceronem non acceſſit. Hunc Cicero gratiſſimum ſibi feciſſe, dicit, quòd de controverſiâ audiri noluerit, id eſt, quòd ad ſe arbitrum non acceſſerit, ut de controverſiâ, quam habebat cum Veſtorio, tranſigeret. In quo quaſi gratiam referre Ciceroni pro accepto beneficio viſus eſt, quòd eum audiendi moleſtiâ liberaverit. Hic Rufio per jocum à Cicerone vocatur Veſtorianus epiſt. 14. lib. XIV. ob inſignem, & diuturnam cum Veſtorio controverſiam. MANUTIUS.

gè, & Hortenſius, cùm maxima præterea multitudo, ille non venit? Non, inquam. Non vidiſti igitur hominem, inquies? Quî potui non videre, cùm per emporium Puteolanorum iter facerem? in quo illum, agentem aliquid, credo, ſalutavi; [2] poſtea jam juſſi valere, cùm me [3] exiens è ſua villa, num quid vellem, rogaſſet. Hunc hominem parum gratum quiſquam putet? aut non in eo ipſo laudandum, quòd audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare mihi aliam conſolationem eſſe hujus ingentis [4] moleſtiæ, niſi quòd ſpero non longiorem annuâ fore. Hoc me ita velle multi non credunt ex conſuetudine aliorum: tu, qui ſcis, omnem diligentiam adhibebis, tum ſcilicet, cùm id agi debebit. Cùm ex Epiro redieris, de Republica ſcribas ad me velim, ſi quid erit quod opperiare. [5] Nondum enim ſatis huc erat allatum, quomodo Cæſar ferret de auctoritate perſcripta: erátque rumor de Tranſpadanis, eos juſſos Quatuor-viros creare. Quod ſi ita eſt, magnos motus timeo. Sed aliquid [6] ex Pompeio ſciam.

2. *Poſteà jam juſſi*] Cicero ſcripſit, *Poſteà etiam juſſi.* Muretus.

3. *Exiens è ſuâ villâ*] Ita Muretus & Lamb. Alii, *è Panſæ ſui villâ*: alii, *expensè è ſuâ villâ*; quod quid ſit, ne ipſi quidem ſatis explicant. Olivetus.

4. *Moleſtiæ*] Provincialis. Manut.

5. *Nondum*] Ex epiſtolâ Cælii ad Ciceronem primâ, ſanè facilè cognoſcitur, nuntium huc Ciceroni, de Tranſpadanis allatum, rumorémque de auctoritate perſcriptâ, falſum fuiſſe. Cælius enim è complexu Ciceronis Romam reverſus (hoc enim judicium facio ex ejus literis) ſcribit ſe de Tranſpadanis, ne tenuiſſimam quidem auditionem accepiſſe: Marcellum prætereà nihil adhuc de ſucceſſione Galliarum retuliſſe: ſed eam relationem, in Kalend. Junias diſtuliſſe: ut intelligere poſſimus, nihil cum his, illa Cæliana pugnare. Cur autem Quatuorviros creare Tranſpadani à Cæſare juſſi ſint, quídque illud referret, totúſque hic locus, accuratè, copioséque à Carolo Sigonio, in libro tertio de antiquo jure Italiæ, explicatur. Malasp.

6. *Ex Pompeio*] Cum quo Tarenti ſermonem habuit de rep. Ep. 5. Manutius.

Cicero Attico Sal.

Ante diem VI Id. Mai. veni in Trebulanum ad Pontium. Ibi mihi tuæ literæ binæ redditæ ſunt tertio abs te die: eodem autem exiens è Pompeiano, Philotimo dederam ad te literas. Nec verò nunc erat ſanè quod ſcriberem. Qui de Republica rumores, ſcribe quæſo. In oppidis enim ſummum video timorem; ſed multa inania. Quid de iis cogites, & quando,

do, scire velim. Ad quas literas tibi rescribi velis, nescio: nullas enim adhuc acceperam, præter quæ mihi binæ [1] semel in Trebulano redditæ sunt: quarum alteræ [2] edictum P. Licinii habebant, (erant autem Non. Mai. datæ) alteræ rescriptæ ad meas Minturnenses. Quàm vereor, ne quid fuerit [3] σπουδαιότερον in iis, quas non accepi, quibus rescribi vis. [4] Apud Lentulum ponam te in gratiam. [5] Dionysius nobis cordi est. [6] Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. Jam deest quid scribam; & lucet. [7] Beneventi cogitabam hodie. Nostrâ [8] continentiâ, & diligentiâ faciemus satis. [9] A Pontio, ex Trebulano, a. d. v. Id. Mai.

1. *Semel*] Quid si legatur *simul*? URSIN.

2. *Edictum P. Licinii*] Edictum provinciale, ut edictum Asiaticum Q. Mucii ep. 1. lib. VI. Ex iis edictis Cicero, quidquid utile provinciæ putaret, in suum edictum transferebat. MANUTIUS.

3. Σπουδαιότερον] Magis serium.

4. *Apud Lentulum*] Commodum illud quod in Lentulum conferre debeo, faciam ut à te profectum esse credat, séque ob id tibi valde obligatum putet. VICTOR.

5. *Dionysius*] Ciceronum puerorum magister, qui & ipse cum pueris in provinciam proficiscebatur. MANUTIUS.

6. *Nicanor*] Attici servus. Epist. 2. lib. VI. IDEM.

7. *Beneventi*] Supple, pernoctaturum.

8. *Continentiâ, & diligentiâ*] In administrandâ provinciâ. MANUT.

9. *A Pontio*] Cùm essem apud Pontium. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

4 BENEVENTUM veni a. d. v Id. Mai. Ibi accepi eas literas, quas tu superioribus literis significaveras te dedisse: ad quas ego ipse eo die dederam ex Trebulano [1] L. Pontio. Ac binas quidem tuas Beneventi accepi. Quarum alteras Fesulanus multo manè mihi dedit, alteras scriba Tullius. Gratissima est mihi tua cura de illo meo primo & maximo [2] mandato. Sed tua profectio spem meam debilitat. [3] Ac me ille: illuc quidem labar,

1. *L. Pontio*] Ut sit: ex Trebulano ad te literas dederam L. Pontio, qui post meum è villâ ejus discessum Romam se conferebat. CORRADUS. Legerem, *ex Trebulano L. Pontii*. MURETUS.

2. *Mandato*] De collocandâ filiâ.

3. *Ac me ille*] Concisa est oratio, & aliquantulum obscura, quam sic explico: Ac me ille, quem nosti, valde rogat, ut sibi nuptui dem Tulliam: & sanè in illam conditionem descendam, non quia illam probem: sed quia, aliorum inopiâ, eo genero contentus esse cogor. BOSIUS. Corruptus locus, quem Bosius, tum veteris libri ope, tum ingenio fretus, ita refinxit. Variæ aliorum sive lectiones, sive conjecturæ, nihil ad rem, nisi fallor. OLIVETUS.

bar, non quo; sed inopiâ cogimur eo contenti esse. De illo altero, quem scribis tibi visum esse non alienum, vereor, adduci ut [4] nostra possit; & tuis [5] δυσδιάγνωστον esset. Equidem sum facilis: sed tu aberis, & me absente [6] res. [7] Habebis mei rationem: nam posset aliquid, si utervis nostrûm adesset, agente Servilio, [8] Servio fieri probabile. Nunc, si jam res placeat, agendi tamen viam non video. Nunc venio ad illam epistolam, quam accepi à Tullio. [9] De Marcello fecisti diligenter. Igitur senatus-consultum si erit factum, scribes ad me: sin minùs, [10] rem tamen conficies. Mihi enim attribui oportebit, item Bibulo. Sed non dubito, quin senatus-consultum expeditum sit, in quo præsertim compendium sit populi. De Torquato, [11] probè. De Masone, & Ligure, cùm venerint. De illo [12] quod Chærippus, (quoniam hîc quoque [13] προσνευσιν sustuliſti) [14] ô provincia! etiámne hic mihi curandus est? curandus autem? hactenus, [15] ne quid ad senatum: [16] Consule, aut numera. [17] Nam de cæ-

4. *Nostra*] Filia. Hîc etiam sunt varietates non tot quin plures. Quas, si quis oscitare velit, & nihil discere, legat apud Grævium. IDEM.

5. Δυσδιάγνωστον] Dijudicatu difficile.

6. *Res*] Supple, conficienda est.

7. *Habebis mei rationem*] In Comitiis absentium ratio non habebatur, quia absentes per procuratorem petere magistratus non poterant: in aliis rebus, in quibus fas erat procuratores intervenire, ratio habebatur. Rogat ergo Atticum: ut hanc rem ita curet, ut ipse desiderari non videatur. BOSIUS.

8. *Servio*] Erat Servius, Servii filius, ille alter procus Tulliæ, cujus negotium agebant Servilius Isauricus, & Servius Sulpitius pater. POPMA. Muretus censet delendum esse *Servio*.

9. *De Marcello*] M. Claudio Marcello consule, collega Ser. Sulpicii. MANUT.

10. *Rem tamen conficies*] Ages tamen de supplemento. Nam certè, ut de cæteris senatus non probet, mihi tamen, & Bibulo, qui proconsul in Syriam ibit, attribui oportebit. *Attribui*, autem explano, pecuniam: cùm sequatur, *Compendium populi*. IDEM.

11. *Probè*] Quod ei in sermone significasti, me ad te de eo scripsisse. Epistolâ 1. IDEM.

12. *Quod Chærippus*] Subaudi, de me locutus est. IDEM.

13. Πρόσνευσιν *sustuliſti*] Atticus anteà προσνευσιν, id est, assensionem sustulerat, cùm scripserat δυσδιάγνωστον esse, vellétne is Tulliam uxorem ducere, qui non alienus videbatur. Hîc verò iterùm assensionem submoverat, cùm dubitarat quid in Chærippi negotio fieri oporteret. Bos.

14. *O Provincia*] Cum indignatione. Etiámne, inquit, quid Chærippus libertus de me cogitet, aut dicat, mihi curandum est? MANUTIUS.

15. *Ne quid ad senatum*] Ne eâ de re quicquam Senatus intelligat. BOSIUS.

16. *Consule*] Legendum, *ne quis ad senatum: Consule, aut numera*, scilicet dicat. J. F. GRONOVIUS. Festus Pompeius: *Numera Senatum, ait quivis Senator Consuli, cùm impedimento vult esse quo minùs faciat Senatus-consultum: postulátque ut aut res, quæ adferuntur, dividantur: aut simul consulantur, aut si tot non sunt Senatores, quo numero liceat præscribi Senatus-consultum, expectentur.* Ex quo Festi loco conjicio hunc esse sensum istius φήμης. Etiámne mihi Chærippus curandus est? hactenus certè mihi

te brevior jam in ſcribendo incipio fieri, dubitans Romæne ſis, an jam profectus. Quod tamen quoad ignorabo, ſcribam aliquid potiùs, quàm committam ut, tibi cùm poſſint reddi à me literæ, non reddantur. Nec tamen jam habeo quid aut mandem tibi, aut narrem. Mandavi omnia, quæ quidem tu, ut polliceris, exhauries: narrabo, cùm aliquid habebo novi. Illud tamen non deſinam, dum adeſſe te putabo, [1] de Cæſaris nomine rogare, ut confectum relinquas. Avidè expecto tuas literas, & maximè ut norim tempus profectionis tuæ.

1. *De Cæſaris nomine*] De H-S xx & dccc. quæ Cæſari debemus. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL.

7 QUOTIDIE, vel potiùs in dies ſingulos breviores literas ad te mitto. Quotidie enim magis ſuſpicor te in Epirum jam profectum. Sed tamen ut mandatum ſcias me curaſſe; quot antè, ait ſe Pompeius quinos [1] præfectos delaturum novos; vacationes, judiciariam cauſam. Ego cùm triduum cum Pompeio, & apud Pompeium fuiſſem, proficiſcebar Brunduſium a. d. XIII Kal. Junias. Civem illum egregium relinquebam, & ad hæc, quæ timentur, propulſanda paratiſſimum. Tuas literas expectabo, cùm ut, quid agas, tum ut, ubi ſis, ſciam.

CICE-

1. *Præfectos delaturum novos*] Cur, *novos?* quia vacationes, & judiciariam cauſam iis petebat. Vacationes vocat excuſationes à muneribus militaribus, & aliis, quæ præfecti obire conſuerant: cauſam judiciariam, munus judicandi inter Græcos. Neutrum tamen Cicero conceſſit. Nam præfectis omnibus vacationes denegavit, ut apparet ex epiſtolâ II. hujus libri, & Græcis non Romanos, ſed peregrinos, hoc eſt, Græcos judices attribuit, ut ſcribit epiſt. 1. lib. VI. BOSIUS. Scribendum crediderim: *Quot antè ait ſe Pompeius quinos præfectos delaturum, non vult vacationes, & judiciariam cauſam:* ſcilicet præfectis deferri. Quot antè fuerant in provinciâ illâ, nunc quoque ait ſe quinque præfectos delaturum, iis autem prohibet Vacationes concedere, & committere judicia: quod Cicero ſecutus etiam eſt, ut Boſius oſtendit. GRÆVIUS.

Cicero Attico Sal.

ME & incommoda valetudo, [1] quâ jam emerſeram, ut pote cùm ſine febri laboraſſem, & Pontinii expectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenebat duodecimum jam diem Brunduſii: ſed curſum expectabamus. Tu ſi modò es Romæ, (*vix enim puto*) ſin es, hoc vehementer animadvertas *velim*. Româ acceperam literas, Milonem meum queri per *literas injuriam meam*, quòd Philotimus [2] ſocius eſſet in bonis ſuis. Id ego ita fieri volui de C. Duronii ſententia; quem & amiciſſimum Miloni perſpexeram, & talem virum, qualem tu judicas, cognôram. Ejus autem conſilium, meúmque hoc fuerat; primùm ut in poteſtate noſtra eſſet res, ne illum malus emptor & alienus mancipiis, quæ permulta ſecum habet, ſpoliaret: deinde ut [3] Fauſtæ, cui cautum ille eſſe voluiſſet, ratum eſſet. Erat etiam illud, ut ipſi nos, ſi quid ſervari poſſet, quàm facillimè ſervaremus. Nunc rem totam perſpicias velim. Nobis enim ſcribuntur ſæpè majora. Sed ſi ille queritur, ſi ſcribit ad amicos, ſi idem Fauſta vult, Philotimus, ut ego ei coràm dixeram, *mihique ille* receperat, ne ſit invito Milone in bonis. [4] *Nihil nobis fuerat tanti*. Sin hæc leviora ſunt, tu judicabis. Loquere cum Duronio. Scripſi etiam ad Camillum, ad Lamiam: eóque magis, quòd non confidebam Romæ te eſſe. Summa

8

1. *Quâ jam emerſeram*] Scribe, *quanquam emerſi jam*. J. F. Gronovius.

2. *Socius*] Solebant Romani in negotiationibus, & commerciis uti libertorum operâ; ut apparet ex Plutarcho in Catone majore, & aliis multis auctoribus. Eâ de causâ Cicero ſibi ſocium in bonis Milonis adjunxerat Philotimum libertum, cùm ea ab haſta emeret. Emerat autem, ne ea emptori alieno addicerentur, hoc eſt, non amico, & non familiari ipſius Milonis. Quo facto futurum erat ut Milo multis mancipiis, quæ ſecum abduxerat, ſpoliaretur. Nam ea emptor alienus ſibi vindicaſſet, tanquam ſibi mancipata cum cæteris illius bonis: quod nequaquam facturus erat Philotimus, qui in ea re nihil agebat, niſi Ciceronis conſilio. Bosius. Vide *Fam.* VIII. 3.

3. *Fauſtæ*] Milo in exilium Maſſiliam abiens Fauſtæ uxori caverat de dote: quæ cautio ut rata eſſet, Cicero & Philotimus bona ejus ab haſta empta occupaverant, animo reſtituendi. Fauſta hæc eſt filia L. Syllæ Dictatoris, ſoror Fauſti. Popma.

4. *Nihil nobis fuerat tanti*] Legendum cenſeo, *nihil nobis* fuerit *tanti*. Nihil tanti æſtimabitur in bonis Milonis, ut propterea ejus velim offenſam contrahere: malo nihil ex iis, quæ Milo mihi debet, accipere, quàm illum, qui tam bene de me eſt meritus, offendere. Grævius. Videtur *fuerat* retineri poſſe, & perinde hoc in loco valere ac *fuerit*. Olivetus.

Summa erit hæc; ſtatues, ut ex fide, famâ, réque meâ videbitur.

CICERO ATTICO SAL.

9 ACTIUM venimus a. d. XVII Kal. Quint. cùm quidem & Corcyræ, & Sybotis [1] muneribus tuis, quæ & Areus, & meus amicus Eutychides opiparè & [2] φιλοπροσηνέγκατα nobis congeſſerant, epulati eſſemus [3] Saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodiſſimè navigaſſemus, & Leucaten flectere moleſtum videbatur. Actuariis autem minutis Patras accedere ſine his [4] impedimentis, non ſatis viſum eſt decorum. Ego, ut ſæpè tu me currentem hortatus es, quotidie meditor, præcipio meis, faciam denique, ut ſummâ modeſtiâ, & ſummâ abſtinentiâ munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus velim quieſcat, & fortuna nos juvet: noſtra præſtabimus. Tu, quæſo, quid agas, ubi quoque tempore futurus ſis, quales res noſtras Romæ reliqueris, maximè [5] de XX & de DCCC, cura ut ſciamus. Id unis diligenter literis datis, quæ ad me utique perferantur, conſequêre. Illud tamen (quoniam nunc abes, cùm id non agitur: aderis autem ad tempus, ut mihi reſcripſiſti) memento curare per te, & per omnes noſtros, in primis per Hortenſium, ut annus noſter maneat ſuo ſtatu, ne quid novi decernatur. Hoc tibi ita mando, ut dubitem an etiam te rogem, ut pugnes [6] ne intercaletur. Sed non audeo tibi omnia onera imponere: [7] annum quidem utique teneto. Cicero meus, modeſtiſſimus & ſuaviſſimus puer, tibi ſalutem dicit. [8] Dionyſium ſemper equidem, ut ſcis, dilexi, ſed quotidie pluris facio, & mehercule in primis quòd te amat, nec tui mentionem intermitti ſinit. CICE-

---

1. *Muneribus tuis*] Attici res agebant Areus & Eutychides liberti, Corcyræ, & Sybotis: ejus igitur nomine ad Ciceronem munera detulerunt. MANUTIUS.

2. Φιλοπροσηνέγκατα] Blandiſſimè.

3. *Saliarem in modum*] Ut ſolent epulari Salii ſacerdotes.

4. *Impedimentis*] Quæ ad proconſularem dignitatem pertinent. JUNIUS.

5. *De XX.*] De quibus epiſt. 5.

6. *Ne intercaletur*] Nam intercalatio dies interponebat: ita, diebus interpoſitis, longior fiebat adminiſtratio provinciarum. MANUTIUS.

7. *Annum*] Si tenere non potes, ne intercaletur, quod in anno comprehenditur; annum ſaltem, hoc eſt, ut tempus tamen ſit annuum, teneto. CORRADUS.

8. *Dionyſium*] Hominem Græcum, pueri M. Ciceronis magiſtrum. MANUTIUS.

Cicero Attico Sal.

UT Athenas a. d. VII Kal. Quint. veneram, expectabam ibi jam quartum diem Pontinium: neque de ejus adventu certi quicquam habebam: eram autem totus, crede mihi, tecum: & quanquam *sine his per me ipse*, tamen acriùs vestigiis tuis *monitus de te cogitabam*. Quid quæris? non mehercule *alius ullus sermo* nisi de te. Sed tu aliquid de me scire *fortasse mavis*; hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publicè, aut privatim, nec in quemquam comitum. Nihil accipitur lege Julia, nihil ab hospite: persuasum est omnibus meis, serviendum esse famæ meæ. Bellè adhuc. Hoc animadversum, Græcorum laude, & multo sermone celebratur. Quod supereſt, elaboratur in hoc à me, sicut tibi sensi placere. Sed hæc tum laudemus, cùm erunt perorata. Reliqua sunt ejusmodi, ut meum consilium sæpè reprehendam, quòd non aliqua ratione ex hoc negotio emerserim. O rem minimè aptam meis moribus! ô illum verum; [1] ἔρδοι τίς. Dices, [2] Quid adhuc? nondum in negotio versaris. Nescio; & puto molestiora restare: etsi hæc ipsa fero equidem fronte, ut puto, & volo, belliſſimè; sed angor *intimis sensibus*: ita multa vel iracundè, vel insolenter, vel in omni genere stultitiæ insulsè, arroganter, & dicuntur, & tacentur quotidie. Quæ, non quò te celem, non perscribo, sed quia [3] δυσεξίμητα sunt. Itaque admirabere meam [4] βαθύτητα, cùm salvi redierimus: tanta mihi [5] μελέτη hujus virtutis datur. Ergo hæc quoque hactenus. Etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum; quia quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem: nec hercule unquam tam diu ignarus rerum mearum fui; quid de Cæsaris, quid de Milonis nominibus actum sit: ac non modò nemo, sed ne rumor quidem quisquam, ut

10

1. Ἔρδοι τίς] *Quam quisque norit artem, in ea se exerceat.* Senarius integer apud Aristoph. in Vespis, 1422.

2. *Quid adhuc*] Quid accidit adhuc, ut te provincia offendat? Manutius.

3. Δυσεξίμητα] Quo nomine significantur res imis sensibus demersæ, & abditæ, quæ, ut palam fiant, vix inde educi, & proferri possunt. Nam δυσεξίμητον idem est quod δυσανίμητον. Alterum enim ἀπὸ τοῦ ἀνιμᾶν, alterum, ἀπὸ τοῦ ἐξιμᾶν, originem ducit. Bosius.

4. Βαθύτητα] Vide lib. IV. epist. 6.

5. Μελέτη] Meditatio.

sciremus in Republica quid ageretur. Quare si quid erit, quod scias de iis rebus, quas putabis scire me velle, per mihi gratum erit, si id curaris ad me perferendum. Quid est præterea? nihil sanè, nisi illud: valdè me Athenæ delectarunt: urbs duntaxat, & urbis ornamentum? & hominum amores in te, & in nos quædam benevolentia; sed multùm & philosophia: [6] ἄνω κάτω si quid est, in Aristo, apud quem eram. Nam [7] Xenonem tuum, vel nostrum potiùs, Quinto concesseram: & tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus invicem. Cùm primùm poteris, tua consilia ad me scribas, ut sciam quid agas, ubi quoque, & maximè quando Romæ futurus sis.

6. Ἄνω κάτω] *Sursum, & deorsum.* Et omnes per hanc philosophiam, Academicam significari volunt. Sed Malaspina pro ἄνω καὶ κάτω, vult legi, *Antiochina*, ab Antiocho, cujus frater erat Aristus. LAMBINUS. Ἄνω κάτω, id esse dicitur, quod ita perturbatâ quadam mutabilitate variat, ut nullâ sede stabiliatur, & hæreat; sed modò sursum feratur, modò imo loco desidat. Itaque cùm Academici in nullius magistri verba jurarent, nihilque certi affirmarent, eleganter Cicero duabus his vocibus eorum sectam designavit. Sensus ergo est: ἄνω κάτω si quid est, hoc est, si quid est Academicæ philosophiæ, id totum est in Aristo, qui frater fuit Antiochi. BOSIUS. Bosii lectionem sequor, interpretationem minimè. Nam ἄνω κάτω Græcis dicitur bifariam: primùm de eversione aut confusione rerum, q. d. τὰ ἄνω κάτω, quam phrasim Galli verbum de verbo exprimunt dicentes, *sens dessus dessous*: secundò autem de universitate, q. d. ἄνω καὶ κάτω, id est, ubique, in singulis partibus, à summo ad imum. Quo sensu *locum* hunc placet accipere, & locus postulat, ratione contestante. JUNIUS. Tu, si cum Bosio facis, appone distinctionis notam post voces Græcas: ego secùs, qui cum Junio. OLIVETUS.

7. *Xenonem*] Qui res Attici curabat. Alii *Zenonem* legunt. Malè.

CICERO ATTICO SAL.

II HUi, totiésne me literas dedisse Romam, cùm ad te nullas darem? At verò posthac frustrà potiùs dabo, quàm, si rectè dari potuerint, committam ut non dem. Ne provincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quidquid provideri potest, provide. Non dici potest, quàm flagrem desiderio urbis, quàm vix harum rerum insulsitatem feram. Marcellus [1] fœdè de Comensi: etsi ille magistratum non gesserit, erat

1. *Fœdè de Comensi*] Indicat Marcellum fœdè fecisse, quòd in odium Cæsaris pœnas sumpserit de Comensi quodam, tanquam de peregrino, cùm tamen is civitate Romanâ donatus esset. Historia nota est. BOSIUS.

erat tamen Transpadanus. Ita mihi videtur non minùs stomachi [2] nostro, ac Cæsari feciſſe. Sed hoc ipse viderit. Pompeius mihi quoque videbatur, quod scribis Varronem dicere, in Hispaniam certè iturus. Id ego minimè probabam; qui quidem [3] Theophani facilè persuasi, nihil esse melius, quàm illum nusquam discedere. Ergo Græcus incumbet. Valet autem auctoritas ejus apud illum plurimùm. Ego has pridie Nonas Quint. proficiscens Athenis dedi; cùm ibi decem ipsos fuissem dies. Venerat Pontinius: unà Cn. Volusius: aderat Quæstor: tuus unus Tullius aberat. [4] Ἄφρακτα Rhodiorum, & dicrota Mitylenæorum habebam, & aliquid [5] ἐπίκωπον. De Parthis erat silentium. Quod superest, dii juvent. Nos adhuc iter per Græciam summa cum admiratione fecimus: nec mehercule habeo, quod adhuc quem accusem meorum. Videntur mihi nosse nos, nostram causam, & conditionem profectionis suæ: planè serviunt existimationi meæ. Quod superest, si verum illud est, [6] οἷα γ' ἡ δέσποινα, certè permanebunt: nihil enim à me fieri ita videbunt, ut sibi sit delinquendi locus. Sin id parum profuerit, fiet aliquid à nobis severius. Nam adhuc lenitate dulces sumus; &, ut spero, proficimus aliquantum. Sed ego hanc, ut singuli dicunt, [7] ἀνεξίαν in unum annum meditatus sum: proinde pugna, ne, si quid prorogatum sit, turpis inveniar. Nunc redeo ad quæ mihi mandas. [8] In præfectis excusatio: iis, quos voles, deferto: non ero tam [9] μετέωρος, quàm in Apuleio fui. Xenonem tam diligo, quàm tu: quod ipsum sentire certò scio. Apud [10] Patronem, & reliquos [11] barones te in maxima gratia

2. *Nostro*] Pompeio, cujus pater Strabo Transpadanas colonias deduxerat. Lamb.

3. *Theophani*] Orat. pro Balbo.

4. Ἄφρακτα] Naves apertæ. *Dicrota*, biremes. De his Pollux, I. 9.

5. Ἐπίκωπον] Gellius, X. 25. *Actuariæ, quas Græci ἐπικώπους vocant.* Actuariæ in genere sunt quævis naves, quæ remis aguntur: specialiter tamen id de eo genere navium dictum, quæ homines tantùm vehebant, aut onera. J. F. Gronov.

6. Οἷα γ' ἡ δέσποινα] Adagium est, *Catellam dominæ similem esse.* Plato, *Rep.* VIII.

7. Ἀνεξίαν] *Abstinentiam.* Hæc ego non dubito per jocum à Cicerone scribi. Malasp.

8. *In præfectis*] Vulgata, quamvis corrupta sit, potiùs servetur, quæ tot in libris extat, quàm ex paucis deterior substituatur. Grævius.

9. Μετέωρος] Suspensus, incertus.

10. *Patronem*] Philosophum Epicureum.

11. *Barones*] Eleganter *apud Patronem & reliquos Patrones* emendare mihi visus sum. Urbanissimè autem Cicero reliquos Patronis sodales, ac ejusdem sectæ velut contubernio junctos *Patrones* vocat. Eâ enim figurâ veteres in talibus uti solent. Ita Juvenalis Sat. V. 149. Virronis congerrones, quorum ille sodalitio in primis delectabatur, quósque præ cæteris adamabat.

posui, & hercule merito tuo feci. Nam mihi is ter, dixit, te scripsisse ad se, mihi ex illius literis [12] rem illam curæ fuisse, quod ei pergratum erat. Sed cùm Patron mecum egisset, ut peterem à vestro Areopago, [13] ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo Prætore fecerant, commodius visum est & Xenoni, & pòst ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, qui pridie, quàm ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat, ut is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri. Non enim dubitabat Xeno, quin ab Areopagitis invito Memmio impetrari non posset. Memmius autem ædificandi consilium abjecerat: sed erat Patroni iratus. Itaque scripsi ad eum accuratè: cujus epistolæ misi ad te exemplum. Tu, velim, Piliam meis verbis consolere: indicabo enim tibi, tu illi nihil dixeris. Accepi fasciculum, in quo erat epistola Piliæ: abstuli, aperui, legi: valdè scripta est [14] συμπαθῶς. Brundusio quæ tibi epistolæ redditæ sunt sine mea, tum videlicet datæ, cùm ego me non bellè haberem. Nam illam [15] νομανδείαν excusationem ne acceperis. Cura, ut omnia sciam, sed maximè, ut valeas.

bat, *Virrones* vocat. *Virro sibi, & reliquis Virronibus illa jubebit Poma dari.* Horatius, *lib.* II. *Sat.* III. 61. Catieni collegas eâdem ratione Catienos vocat J. Rutgersius *Venusin. Lect.* 23.

12. *Rem illam*] Vide *Fam.* XIII. 1.

13. Ὑπομνηματισμὸν] Decretum.

14. Συμπαθῶς] Cum animi commoti significatione.

15. Νομανδείαν] Vix alibi usquam id occurrit vocabulum, nisi quòd in aliquâ Græcarum vocum collectione est: Νομανδεία, *cœtus virorum pastoritius*; quasi sit hoc nomen substantivum; quod secus esse demonstrat ista Ciceronis oratio. Adjectivum est omninò, ejusdem formæ conditionisque ac Πολυάνδειος. Componitur ex vocabulo νόμος, quod *pastionem* significat, & *præfecturam*. Unde Νομάνδειος est vel *pastoritius*, vel *præfectorius*. Νομανδεία ἀγορὰ est *pastoritia concio*, *pastoritius cœtus*. Νομανδεία *excusatio* ea est, quam præfecti & publicarum rerum administri frequenter usurpant, ductam à negotiorum multitudine ac varietate. Anonymus. Eodem redit Mongalti nostri interpretatio. Locum hunc, inquit, explicat ille alter, suprà, IV. 2. *Si fortè rariùs tibi à me, quàm à cæteris, literæ redduntur; peto à te, ut id non modò negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidem tribuas*, &c. En illam ab occupationibus petitam excusationem, quam Cicero non vult accipi, ingeniosâ eruditi hominis sagacitate exploratam. Aliorum commenta piget describere. Olivetus.

Cicero Attico Sal.

12 Negotium magnum est navigare, atque mense Quintili. Sexto die Delum Athenis venimus. Pridie Nonas Quint.

à Piræeo [1] ad Zoſtera, vento moleſto, qui nos ibidem Nonis tenuit. A. d. VIII Idus [2] ad Ceo jucundè. Inde [3] Gyarum ſævo vento, non adverſo: hinc [4] Scyrum, inde [5] Delum, utroque citiùs, quàm vellemus, curſum confecimus. Jam noſti ἄφεκτα Rhodiorum: nihil quod minùs fluctum ferre poſſit: itaque erat in animo nihil feſtinare, Delo nec me movere, niſi omnia [6] ἀκρωτηρίων σήματα vidiſſem. De Meſſalla ad te ſtatim, [7] ut audivi, de Gyaro dedi literas: & id ipſum conſilium noſtrum etiam ad Hortenſium: cui quidem valdè [8] συνηγωνίων. Sed tuas de ejus judicii ſermonibus, & mehercule omni de Reipublicæ ſtatu literas expecto, [9] πολιτικώτερον quidem ſcriptas, (quoniam [10] meos cum Thallumeto noſtro pervolutas libros) ejuſmodi inquam literas, ex quibus ego, non quid fiat, (nam id vel Helenius, vir graviſſimus, poteſt efficere, cliens tuus) ſed quid futurum ſit. Etiam, cùm hæc leges, habebimus Conſules. Omnia perſpicere poteris, de Cæſare, de Pompeio, de ipſis judiciis. Noſtra autem negotia, quoniam Romæ commoraris, amabo te, explica. Cui rei fugerat me reſcribere, [11] de ſtrue laterum planè rogo. De aqua, ſi quid poterit fieri, eo ſis animo, quo ſoles eſſe. Quam ego cùm mea ſponte, tum tuis ſermonibus æſtimo plurimi. Ergo aliquid conficies. Præterea, ſi quid Philippus rogavit, quod in ſua re faceres, id velim facias. Plura ſcribam ad te, cùm conſtitero: nunc eram planè in medio mari.

1. *Ad Zoſtera*] Promontorium Atticum. Strab. lib. IX.

2. *Ad Ceo*] Græcorum more, *Ceo* dixit quarto caſu. Bosius.

3. *Gyarum*] Gyarus, aſpera maris Ægei inſula, in quam relegabantur Romani. Juven. *Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum.* Grævius.

4. *Scyrum*] Inſulam maris Ægei, Sporadum & Cycladum extrema. Idem.

5. *Delum*] Nobiliſſima Cycladum.

6. *Ἀκρωτηρίων σήματα*] Signa ſecundæ tempeſtatis ex vexillis in faſtigiis navium & domorum.

7. *Ut audivi*] Accuſatum de ambitu poſt conſulatum. Accuſatus autem erat & antè, cùm eſſet candidatus. Epiſt. 2. lib. III. ad Q. Fr. Manutius.

8. *Συνηγωνίων*] Cum illo mœrebam.

9. *Πολιτικώτερον*] Accommodatiùs ad rationem tractandæ reipublicæ.

10. *Meos*] Scriptos de Republicâ. *Thallumeto*: litteratus Attici ſervus. Manut.

11. *De ſtrue laterum*] Vict. & Man. *ſalinarum*. Emendavi, *De ſtrue laterum*, cùm legiſſem in Tornæſiano & Cruſellino, *de ſtrues alterum*. Cogitabat Cicero de aquæ ductu lateritio faciendo, cujus generis quatuordecim fuiſſe Romæ tradit Procopius libro primo. Bosius.

CICERO ATTICO SAL.

13 EPHESUM venimus a. d. XI. Kal. Sext. ſexageſimo & quingenteſimo [1] poſt pugnam Bovillam. Navigavimus ſine timore, & ſine nauſea; ſed tardiùs, propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. De concurſu legationum, privatorum, & de incredibili multitudine, quæ mihi jam Sami, ſed mirabilem in modum Epheſi præſtò fuit, aut audiſſe te puto, aut quid ad me attinet? Veruntamen decumani, ac ſi veniſſem cum imperio; Græci, quaſi Epheſio Prætori ſe alacres obtulerunt: ex quo te intelligere certò ſcio, multorum annorum [2] oſtentationes meas nunc in diſcrimen eſſe adductas. Sed, ut ſpero, utemur eâ palæſtrâ, quam à te didicimus; omnibúſque ſatisfaciemus; & eo faciliùs, quòd in noſtra provincia confectæ ſunt [3] pactiones. Sed hactenus: præſertim cùm cœnanti mihi nuntiaret Cæſtius, ſe de nocte proficiſci. Tua negotiola Epheſi curæ mihi fuerunt: [4] Thermóque, tametſi ante adventum meum liberaliſſimè erat pollicitus tuis omnibus, tamen Philogenem, & Seium [5] tradidi; [6] Apollonienſem Xenonem commendavi. Omni-

1. *Poſt pugnam Bovillam*] Poſt Clodii cædem ultra Bovillas. Interfectus eſt Clodius, ut refert Aſconius XIII. Kal. Februar. Cn. Pompeio III. Conſule ſine collega. Hæc ſcribebat Cicero anno proximè ſequenti, Ser. Sulpitio, M. Marcello Coss. Ab eo verò die, quo cæſus eſt Clodius, uſque ad eum quo Cicero venit Epheſum, qui fuit XI. Kal. Sext. dies ſunt quingenti & ſexaginta: quam ſummam reperies, ſi duo & viginti dies, qui eo biennio intercalati fuerunt, cæteris diebus annumeres, & ex Macrobio, & Cenſorino ſtatuas tum menſes hoc dierum numero conſtitiſſe, Januarium, XXIX. Februarium, XXVIII. Martium, XXXI. Aprilem, XXIX. Maium, XXXI. Junium, XXIX. Quintilem, XXXI. Sextilem, XXIX. Octobrem, XXXI. Novembrem, XXIX. & Decembrem, XXXI. Annus enim, antequam Cæſar Faſtos emendaret, erat tantùm trecentorum & quinquaginta quinque dierum. BOSIUS.

2. *Oſtentationes*] Horum verborum ſententia hæc eſt: Et oſtentarat ſe Cicero ſemper amiciſſimum ordini publicanorum, & ſemper item ſervire inſtituerat provincialium commodis. Nunc cùm inter decumanos & provinciales malè conveniret, periculum erat, quicquid inter eos decreviſſet in provinciâ ſuâ, ne in alterorum offenſionem incurreret. Ait igitur, ſe uſurum eâ palæſtrâ, quam ab Attico didicerat. MURET. Var. Lect. XIV. 11.

3. *Pactiones*] Inter publicanos, & provinciales de exactionibus. ep. ſeq. CORR.

4. *Thermóque*] Q. Minucio Thermo prætori, Ioniam regenti. MANUTIUS.

5. *Tradidi*] *Tradere quempiam alicui* eſt, conſtituere ipſum apud illum, & quaſi præſentem in manus porrigere, & dare. Erat autem Philogenes libertus Attici. VICTORIUS.

6. *Appollonienſem*] Ab urbe Appolloniâ, quæcunque ea fuerit. Nam ejus nominis multas Stephanus enumerat. BOSIUS. Hoc autem hîc addit, quia alius Xeno Athenienſis, de quo epiſtolâ 10. & libro XVI. POPMA.

Omnino omnia se facturum recepit. Ego præterea rationem Philogeni permutationis ejus, quam tecum feci, [7] edidi. Ergo hæc quoque hactenus. Redeo ad urbana. Per fortunas (quoniam Romæ manes) primùm illud præfulci, atque præmuni, quæso, ut simus annui; ne intercaletur quidem. Deinde exhauri mea mandata; maximéque si quid potest, [8] de illo domestico, scrupulum, *quem non ignoras*; deinde de Cæsare; cujus in *cupiditatem te auctore incubui*; nec me piget. Et, si *intelligis, quàm meum sit scire & curare*, quid in Republica *fiat: fiat autem?* immo verò etiam quid futurum sit, perscribe ad me omnia; sed diligentissimè: in primis ecquid judiciorum status aut factorum, aut futurorum etiam laboret. [9] De aqua, si curæ est, si quid Philippus aget, animadvertas.

7. *Edidi*] Cùm ei tantundem me dicerem redditurum, quantum à te accepissem. Ep. 13. MANUTIUS.

8. *De illo domestico*] De filiæ, opinor, intelligit matrimonio. IDEM.

9. *De aquâ*] De quâ, ut & *Philippo*, vide epist. præced. GRÆVIUS.

CICERO ATTICO SAL.

ANTEQUAM aliquo loco consedero, neque longas à me, neque semper mea manu literas expectabis. Cùm autem erit spatium, utrumque præstabo. Nunc iter conficiebamus æstuosâ & pulverulentâ viâ. Dederam Epheso pridie: has dedi Trallibus. In provincia mea fore me putabam Kal. Sextilibus. Ex ea die, si me amas, [1] παραγγελμα ἐνιαύσιον commoveto. Tamen interea hæc, quæ vellem, mihi afferebantur: primùm otium Parthicum, dein confectæ pactiones Publicanorum, postremò seditio militum sedata ab [2] Appio, stipendiúmque eis usque ad Idus Quintiles persolutum. Nos Asia accepit admirabiliter. Adventus noster nemini ne minimo quidem fuit sumptui. Spero meos omnes servire laudi meæ. Tamen magno timore sum: sed bene speramus. Omnes jam nostri præter *Tullium* tuum venerunt. Erat mihi in animo rectà proficisci ad exercitum, æstivos menses reliquos rei militari dare, hi- 14

bernos

1. Παραγγελμα ἐνιαύσιον] *Mandatum annuum*, hoc est, mandatum de annuo munere provinciali non propagando.

2. *Appio*] Cui succedo. CORRAD.

bernos jurisdictioni. Tu, velim, si me nihilo minùs nosti curiosum in Republica quàm te, scribas ad me omnia, quæ sint, quæ futura sint. Nihil mihi gratius facere potes: nisi tamen id erit mihi gratissimum, si, quæ tibi mandavi, confeceris; in primisque illud [3] ἐνδυμόχον; quo mihi scis nihil esse carius. Habes epistolam plenam festinationis, & pulveris. Reliquæ subtiliores erunt.

3. Ἐνδόμυχον] *Arcanum.* Conjugium (opinor) Tulliæ, de quo suprà. JUNIUS.

CICERO ATTICO SAL.

15 LAODICEAM veni pridie Kal. Sext. Ex hoc die [1] clavum anni movebis. Nihil exoptatius adventu meo, nihil carius: sed est incredibile, quàm me negotii tædeat. Non habet satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi; & industriæ meæ præclara opera cessat. Quippe jus Laodiceæ me dicere, cùm Romæ A. Plotius dicat? & cùm exercitum noster [2] amicus habeat tantum, me [3] nomen habere duarum legionum exilium? Denique hæc non desidero: lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. Sed feram, ut potero: sit modò annuum. Si prorogatur, actum est. Verùm perfacilè resisti potest: tu modò Romæ sis. Quæris, quid hîc agam? Ita vivam, ut maximos sumptus facio. Mirificè delector hoc instituto. Admirabilis abstinentia ex præceptis tuis: ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, versurâ mihi solvendum sit. Appii vulnera non refrico: sed apparent, nec occuli possunt. Iter Laodiceâ faciebam a. d. III. Non. Sext. cùm has literas dabam, in castra in Lycaoniam: inde ad Taurum cogitabam, ut cum [4] Mœragene

1. *Clavum anni movebis*] Vocat Cicero clavum anni, indicem & notam anni incipientis ex eo die, quo provinciam ingressus fuerat: ut sibi eodem die anno vertente succederetur, atque ita clavus moveretur. Nam clavis parietibus impactis olim apud Romanos anni notabantur, ut à multis animadversum est. BOSIUS.

2. *Amicus*] Cæsar. MONGALTUS.

3. *Nomen*] Significans legiones sine viribus esse & robore. GRÆVIUS.

4. *Mœragene*] Latronum duce. MANUT. A quo Atticus aliquid, servi cujusdam fugitivi nomine, petebat, quem Mœragenes, ut conjicio, receperat. Jocosè autem ait, *signis collatis*, quòd cùm esset cum imperio, omnia armis acturus videretur, & vi Mœragenem adacturus ad satisfaciendum Attico. BOSIUS.

gene signis collatis, si possem, de servo tuo deciderem. [5] Clitellæ bovi sunt impositæ: planè non est nostrum onus: sed feremus: modò, si me amas, sit annuum. Adsis tu ad tempus, ut senatum totum excites. Mirificè sollicitus sum, quòd jam diu ignota sunt mihi ista omnia. Quare, ut ad te antè scripsi, cùm cætera, tum Respublica cura ut mihi nota sit. Plura scribam [6] tardè redditurò? sed dabam familiari homini, ac domestico, C. Andronico Puteolano. Tu autem sæpè dare tabellariis Publicanorum poteris, per magistros scripturæ, & portûs nostrarum diœcesium.

5. *Clitellæ Bovi*] Significat munus provinciale parùm sibi accommodatum, & non satis dignum suis viribus esse, ut scribit in epistolâ ad Cælium, *Totum negotium non est dignum viribus nostris, qui majora in republicâ onera sustinere & possumus & solemus.* Bovi enim clitellæ non insternuntur, sed asino. Popma.

6. *Tardè redditurò*] Valet per eum qui tibi tardè reddet. Bosius. Fortasse, *redituro*. An tibi nunc plura scribam, qui non nisi tardè in Urbem rediturus es?

Cicero Attico Sal.

Etsi in ipso itinere & viâ discedebant Publicanorum tabellarii, & eramus in cursu: tamen surripiendum aliquid putavi spatii, ne me immemorem mandati tui putares. Itaque subsedi in ipsa via, dum hæc, quæ longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. Maxima expectatione in perditam, & planè eversam in perpetuum provinciam nos venisse scito pridie Kal. Sextiles. Morati triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade, audivimus nihil aliud, nisi imperata [1] ἐπικεφάλια solvere non posse: ὠνὰς omnium venditas: civitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cujus immanis. Quid quæris? [2] omnino eos tædet vitæ. Levantur tamen miseræ civitates, quòd nullus fit sumptus in nos, neque in legatos, neque in Quæstorem, neque in quemquam. Scito, non modò nos fœnum, aut quod lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem; nec 16

1. Ἐπικεφάλια] Tributum in singula capita. Ὠνὰς, possessiones.

2. *Omnino eos tædet*] Ita conjecit Malaspina, & Lambinus edidit. Nam legebatur anteà, *Omnium nos tædet*, &c.

præter quatuor lectos & tectum, quemquam accipere quidquam: multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque. Itaque incredibilem in modum concurſus fiunt ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. Mehercule etiam adventu noſtro reviviſcunt. Juſtitia, abſtinentia, clementia tui Ciceronis, ita opiniones omnium ſuperavit. Appius, ut audivit nos venire, in ultimam provinciam ſe conjecit Tarſum uſque: ibi [3] forum agit. De Partho ſilentium eſt; ſed tamen conciſos equites noſtros à barbaris nuntiabant ii, qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in provinciam ſuam accedere. Id autem facere ob eam cauſam dicebant, quòd tardiùs vellet decedere. Nos in caſtra properabamus, quæ aberant bidui.

3. *Forum agit*] Quod ne ab iis quidem fieri ſolet, qui brevi tempore ſibi ſucceſſum iri putant: eò minùs ab Appio debebat, qui poſſet jam ſuſpicari, ſibi eſſe ſucceſſum. Ep. 6. lib. III. MANUT.

CICERO ATTICO SAL.

17 ACCEPI Româ ſine epiſtola tua faſciculum literarum: in quo, ſi modò valuiſti, & Romæ fuiſti, Philotimi duco eſſe culpam, non tuam. Hanc epiſtolam dictavi ſedens in rheda, cùm in caſtra proficiſcerer, à quibus aberam bidui. Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem literas: itaque eò me ſervavi. Nos tamen, etſi hoc te ex aliis audire malo, ſic in provincia nos gerimus, quod ad abſtinentiam attinet, ut nullus teruntius inſumatur in quemquam. Id fit etiam & legatorum, & tribunorum, & præfectorum diligentiâ. Nam omnes mirificè [1] *συμφιλοδοξοῦσιν* gloriæ meæ. Lepta noſter mirificus eſt. Sed nunc propero: perſcribam ad te paucis diebus omnia. Cicerones noſtros Dejotarus filius, qui rex ab Senatu appellatus eſt, ſecum in regnum. Dum in æſtivis nos eſſemus, illum pueris locum eſſe belliſſimum duximus. Sextius ad me ſcripſit, quæ tecum eſſet de mea [2] domeſtica & maxima cura locu-

1. Συμφιλοδοξοῦσιν] Simul gloriæ meæ ſerviunt.

2. *Domeſtica & maxima cura*] De collocanda filia. Ep. 4. & 14. MANUT.

locutus, & quid tibi esset visum. Amabo te, incumbe in eam rem, & ad me scribe, quid & possit, & tu censeas. Idem scripsit Hortensium de propaganda nostra provincia dixisse nescio quid. Mihi in Cumano diligentissimè se, ut annui essemus, defensurum receperat. Si quicquam me amas, hunc locum muni. Dici non potest, quàm *invitus à vobis* absim. Et simul hanc gloriam justitiæ, & *abstinentiæ fore illustriorem* spero, si citò decesserimus. *Id quod Scævolæ contigit*, qui solos novem menses *Asiæ præfuit. Appius noster*, cùm me adventare videret, *profectus est* Tarsum usque Laodiceâ. Ibi forum agit, cùm ego sim in provincia; quam ejus injuriam non insector. Satis enim habeo negotii in sanandis vulneribus, quæ sunt imposita provinciæ. Quod, do operam, ut faciam quàm minimâ illius contumeliâ. Sed hoc Bruto nostro velim dicas, illum fecisse non bellè, qui adventu meo, quàm longissimè potuerit, discesserit.

Cicero Attico Sal.

Quam *vellem* Romæ esses, si fortè non es. Nihil enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas literas a. d. XIV. *Kal. Sext. datas: in quibus* scriptum esset, te in Epirum iturum circiter *Kal. Sextiles. Sed* sive Romæ es, sive in Epiro, Parthi Euphratem transierunt duce Pacoro, Orodis regis Parthorum filio, cunctis ferè copiis. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in oppido *Antiochiæ* cum omni exercitu. Nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra. Hostis in Cyrrhestica; quæ Syriæ pars proxima est provinciæ meæ. His de rebus scripsi ad Senatum: quas literas, si Romæ es, videbis putésne reddendas: [1] & multa, immo omnia: quorum [2] κεφάλαιον, ne quid [3] inter cæsa, & porrecta, ut aiunt, oneris mihi addatur, aut temporis. Nobis enim, hac infirmi- 18

1. *Et multa*] Videbis. Manut.

2. *Κεφάλαιον*] Caput.

3. *Inter cæsa, & porrecta*] In ipso articulo discessûs mei. Sumptâ similitudine à sacrificiis, cùm inter cæsa exta, & porrecta siniſtri quid accideret, ne litari posset, sed instaurari sacrificium necesse esset. Verebatur Cicero, ne, quo tempore discessurus esset, eo tempore ejusmodi quid accideret, ne posset discedere. Manutius.

tate exercitûs, inopiâ sociorum, præsertim fidelium, certissimum subsidium est hiems. Ea si venerit, nec illi antè in meam provinciam transierint, unum vereor, ne Senatus, propter urbanarum rerum metum, Pompeium nolit dimittere. Quòd si alium ad ver mittit, non laboro. Nobis modò temporis ne quid prorogetur. Hæc igitur, si Romæ es: sin abes, aut etiam si ades; hæc negotia sic se habent. Stamus animis; &, quia consiliis, ut videmur, bonis utimur, speramus etiam manu. Tuto consedimus, copioso à frumento, Ciliciam propè conspiciente, expedito ad mutandum loco; parvo exercitu; sed, ut spero, ad benevolentiam erga nos consentiente: quem nos, Dejotari adventu cum suis omnibus copiis, duplicaturi eramus. Sociis multò fidelioribus utimur, quàm quisquam usus esset: quibus incredibilis videtur & nostra mansuetudo, & abstinentia. Delectus habetur civium Romanorum. Frumentum ex agris in loca tuta comportatur. Si fuerit occasio, manu; sin minùs, locis nos defendemus. Quare bono animo es. Video enim te, &, quasi coràm adsis, ita cerno [4] συμπάθειαν amoris tui. Sed te rogo, (si ullo pacto fieri poterit) si integra in senatu nostra causa ad Kal. Jan. manserit, ut Romæ sis mense Januario. Profectò nihil accipiam injuriæ, si tu aderis. Amicos consules habemus; nostrum, Tribunum plebis Furnium. Verùm tuâ est opus assiduitate, prudentiâ, gratiâ. Tempus est necessarium. Sed turpe est, me pluribus verbis agere tecum. Cicerones nostri sunt apud Dejotarum; sed, si opus erit, deducentur Rhodum. Tu, si es Romæ; ut soles, diligentissimè: si in Epiro; mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium; ut & tu, quid nos agamus, & nos, quid tu agas, quidque acturus sis, scire possimus. Ego tui Bruti [5] rem sic ago, ut suam ipse non ageret. Sed jam [6] exhibeo pupillum, [7] neque defendo: sunt enim negotia & lenta, & inania. Faciam tamen satis: tibi quidem, cui difficilius est, quàm ipsi: sed certè satisfaciam utrique.

CICE-

4. Συμπάθειαν] Doloris consensum.

5. *Rem*] Vide epist. 1. lib. VI. MAN.

6. *Exhibeo pupillum*] Ariobarzanem regem, qui mihi à senatu in tutelam est traditus, exhibeo creditoribus, ut exigant ipsi. IDEM.

7. *Neque defendo*] Tutores enim dicti, quia pupillos tueantur. Ego, inquit, jam non tueor; tutelâ me abdico. IDEM.

Cicero Attico Sal.

OBSIGNARAM jam epistolam eam, quam puto te modò perlegisse, scriptam mea manu, in qua omnia continentur, cùm subitò Appii tabellarius a. d. XI Kal. Oct. septimo quadragesimo die Româ celeriter (hui tam longè!) mihi tuas literas reddidit: ex quibus non dubito, quin tu Pompeium expectaris, dum Arimino rediret, & jam in Epirum profectus sis: magisque vereor, ut scribis, ne in Epiro sollicitus sis non minùs, quàm nos hìc sumus. De Atiliano nomine scripsi ad Philotimum, ne appellaret [1] Messallam. Itineris nostri famam ad te perveniisse lætor, magisque lætabor, si reliqua cognôris. Filiolam tuam tibi [2] jam Romæ jucundam esse gaudeo; eámque, quam nunquam vidi, tamen & amo, & amabilem esse certò scio. Etiam atque etiam [3] valete Patron, & tui condiscipuli. Quæ [4] de Tarentinis in militia laboravi, ea tibi grata esse gaudeo. 19

1. *Messallam*] Qui pro Atilio promiserat. Et *Appellare*, verbum creditorum. Appellare autem quo tempore de ambitu reus erat Messalla, hominis videbatur de humanitate parum laborantis. Manut.

2. *Jam Romæ*] Cùm Romæ es. Jam enim profectum Atticum in Epirum existimabat. Et dixit, *Jam*, quasi paucis antè mensibus natam. Posset etiam sic, nisi repugnarent antiqui libri, *Jam mirè jucundam*. Ea pòst uxor Agrippæ fuit, ejus, qui Pantheon, quod nunc quoque integrum magnâ cum admiratione spectatur, Romæ condidit. Idem.

3. *Valete Patron*] Hunc locum ante aliquot annos ingeniosè ex conjecturâ correxerat eruditissimus vir Claudius Puteanus, supremæ curiæ Parisiensis senator integerrimus: quam ejus emendationem eò usque probavi, donec mihi contigit codicem Decurtatum nanciscì, ubi hæc ita exarata reperi, ut, quod ad sententiam attinet, Puteani confirment castigationem; aliquantulum tamen varient ab ejus lectione. Sic enim ibi leguntur, *etiam atque etiam valete Patron, & tui condiscipuli.* Audierat Cicero Atticum valde delectari filiâ, quâ nuper auctus erat, eámque summo amore prosequi, qui amor à naturâ ipsâ proficiscebatur: ideò cùm in eâ re illum animadverteret decreto Epicureorum adversari, qui negabant φυσικὴν εἶναι τὴν στοργὴν τὴν ἀφ' ὧν τὰ τέκνα, hoc est, insitum esse naturâ amorem illum, quo quisque filios complectitur, festivè Attici nomine valere jubet Patronem Epicuri discipulum, & cæteros ejusdem condiscipulos, quasi Atticus Epicuri sectæ renuntiaret. De hoc Epicuri decreto vide Arriani Epictetum. Bosius.

4. *De Tarentinis*] Tarentini sunt equites, leves duos equos habentes, qui jaculis levibus irritabant quasi prælium instar velitum. Sic dicti non quòd Tarenti conscriberentur, sed quòd hoc genere equitum primi sunt usi Tarentini. De iis Ælianus Tacticis cap. 45. Suidas, Hezychius, Livius XXXV, 28. Polybius, lib. XI, & aliis locis. Grævius. Adjungi poterat Stephanus Byzantinus, verbo Τάρας. Cæterùm unus locum hunc bene intellexit Grævius, & illustravit. Turpiter alii se dederunt. Mongaltus.

deo. Quod ſcribis libente te repulſam tuliſſe [5] eum, qui [6] cum ſororis tuæ filii patruo [7] certaret; magni amoris ſignum. Itaque me etiam admonuiſti, ut gauderem: nam mihi in mentem non venerat. Non credo, inquis. Ut libet: ſed planè gaudeo: quoniam [8] τὸ νεμεσᾶν intereſt τῷ φθονεῖν.

5. *Eum*] Hirrum, qui repulſam tulerat in Ædilitatis petitione.

6. *Cum ſororis tuæ filii patruo*] Mecum, qui ſororis tuæ filio patruus ſum. MAN.

7. *Certaret*] Reſpexit ad certamen de auguratu: de quo Fam. VIII. ep. 3. & 9. IDEM.

8. Τὸ νεμεσᾶν *intereſt* τῷ φθονεῖν] Indignatio diſtat ab invidiâ: *indignari*, & *invidere*, non idem ſunt. Reſpondet Cicero tacitæ objectioni. Gaudeo, inquit, nec tamen eſt, cur quiſquam reprehendat. Non enim, quia lætitiam capio ex Hirri repulsâ, propterea, ſi ædilitatem is eſſet adeptus, inviderem, ſed indignarer potiùs. Jure igitur gaudeo: quoniam ab indignatione, non ab invidiâ, proficiſcitur lætitia mea. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

20 SATURNALIBUS manè ſe mihi Pindeniſſæ dediderunt, ſeptimo & quadrageſimo die, poſtquam oppugnare eos cœpimus. Qui (malum) iſti Pindeniſſæ? qui ſunt? inquies: nomen audivi nunquam. Quid ego faciam? num [1] potui Ciliciam, Ætoliam aut Macedoniam reddere? Hoc jam ſic habeto, nec hoc exercitu hîc tanta negotia geri potuiſſe: quæ cognoſce [2] ἐν ἐπιτομῇ: ſic enim concedis mihi proximis literis. Epheſum ut venerim noſti; qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritatem: quâ nihil me unquam delectavit magis. Inde oppidis iis, quà ieram, mirabiliter accepti, Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus. Ibi morati biduum, perilluſtres fuimus, honorificíſque verbis omnes injurias [3] revellimus ſuperiores. Quod idem dein Apameæ quinque dies morati, & Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconii decem fecimus. Nihil ea juriſdictione æquabilius, nihil lenius, nihil gravius. Inde in caſtra veni a. d. VII. Kal. Sept. a. d. III. Exercitum luſtravi apud Iconium. Ex his caſtris, cùm graves de Parthis nuntii

1. *Potui Ciliciam*] Potui facere, ut de Ciliciâ fiat Ætolia, aut Macedonia, in quibus omnia erant celebria, & illuſtria, cùm Ciliciæ loca ſint obſcura, & ignota. Helmſt. *Non potui.* GRÆVIUS.

2. Ἐν ἐπιτομῇ] Summatim.

3. *Revellimus*] Hoc puto dici: Quæcunque Appius vulnera impoſuerat, ſanavimus. MANUTIUS.

nuntii venirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociæ partem eam, quæ Ciliciam attingit; eo consilio, ut Armenius Artavasdes, & ipsi Parthi Cappadociâ se excludi putarent. Cùm dies quinque ad Cybistra Cappadociæ castra habuissem, certior sum factus, Parthos ab illo aditu Cappadociæ longè abesse; Ciliciæ magis imminere. Itaque confestim iter in Ciliciam feci per Tauri pylas. Tarsum veni a. d. III. Non. Octob. Inde ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia aquarum divortio dividit; qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Hic a. d. III Idus Octob. magnum numerum hostium occidimus. Castella munitissima, nocturno Pontini adventu, nostro matutino, cepimus, incendimus. *Imperatores* appellati sumus. Castra paucos dies habuimus, ea ipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paulo melior, quàm aut tu, aut ego. Ibi dies quinque morati, direpto & vastato Amano, inde discessimus. Scis enim dici quædam [4] παυικὰ: dici item [5] τὰ κενὰ τῦ πολέμυ. Rumore adventûs nostri, & Cassio, qui Antiochiæ tenebatur, animus accessit, & Parthis timor injectus est. Itaque eos, cedentes ab oppido Cassius insecutus rem bene gessit. Qua in fuga magnâ auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eóque interiit paucis pòst diebus. Erat in Syria nostrum nomen in gratia. Venit interim Bibulus. Credo voluit appellatione hac inani nobis esse par. In eodem Amano cœpit [6] laureolam in mustaceo quærere. At ille cohortem primam totam perdidit, centurionémque primipili, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, & reliquos cohortis ejusdem, & Sext. Lucilium, T. Gavii Cæpionis, locupletis & splendidi hominis, filium, tribunum militum. Sanè plagam odiosam acceperat cùm re, tum tempore. Nos Pindenissum, quod oppidum munitissimum [7] Eleutherocilicum omnium memoriâ in armis fuit, (feri homines & acres, & omnibus rebus ad defendendum

4. Παυικὰ] Terrores panicos.

5. Τὰ κενὰ] Inanes belli terrores.

6. *Laureolam in mustaceo*] Jocatur. Quoniam mustaceis lauri folia subjicerentur, ut ait Plinius lib. XV. Mustaceorum confectionem Cato docet in L. de re rusticâ. Bibulus, triumphi cupiditate adductus, voluit cum obscuris, paucis, infirmis hostibus confligere. Manutius.

7. *Eleutherocilicum*] Ἐλευθέρων Κιλίκων. Nam scribit Plin. in illis locis populos plures liberos fuisse, qui ne Regibus quidem unquam paruissent. Vide epist. 4. lib. XV. Fam. Corradus.

dendum parati) cinximus vallo & fossâ: aggere maximo, vineis, turre altissimâ, magnâ tormentorum copiâ, multis sagittariis, magno labore, apparatu, multis sauciis nostris, incolumi exercitu, negotium confecimus. Hilara sanè Saturnalia. Militibus quoque, equis exceptis, reliquam prædam concessimus. Mancipia vænibant Saturnalibus tertiis. Cùm hæc scribebam in tribunali, res erat ad H-S cxx. Hinc exercitum in hiberna agri malè pacati deducendum Quinto fratri dabam: ipse me Laodiceam recipiebam. Hæc adhuc. Sed ad præterita revertamur. Quod me maximè hortaris; &, quod pluris est, quàm omnia, in quo laboras, ut etiam [8] Ligurino μώμῳ satisfaciam: moriar, si quicquam fieri potest elegantius. Nec jam ego hanc continentiam appello, quæ virtus voluptati resistere videtur: ego in vita mea nullâ unquam voluptate tantâ sum affectus, quantâ afficior hac integritate: nec me tam fama, quæ summa est, quàm res ipsa, delectat. Quid quæris? fuit tanti: me ipse non noram: nec satis sciebam, quid in hoc genere facere possem: rectè [9] πεφυσίωμαι. Nihil est præclarius. Interim hæc [10] λαμπρὰ. Ariobarzanes operâ meâ vivit, regnat. [11] Ἐν παρόδῳ, consilio, & auctoritate, & quòd insidiatoribus ejus [12] ἀπρόσιτον me, non modò ἀδωροδόκητον præbui, regem regnúmque servavi. Interea è Cappadocia ne pilum quidem; atque etiam spero toto anno imperii nostri, teruntium sumptus in provincia nullum fore. Brutum abjectum, quantùm potui, [13] excitavi: quem non minùs amo, quàm tu; penè dixi, quàm te. Habes omnia. Nunc publicè

8. *Ligurino μώμῳ*] Quem hîc notet parum constat. Nonnulli putant M. Catonem intelligi, severissimum hominem, cui satisfacere in reipublicæ administratione difficile esset: alii Hortensium Oratorem & invidum ipsius; eúmque ob gestus in agendo λιγυρὰς, id est, argutos & stridulos, Ligurinum dici. POPMA. *Momo satisfacere*, proverbium in rebus difficillimis usurpatum MANUTIUS.

9. Πεφυσίωμαι] Turgeo.

10. Λαμπρὰ] Splendida.

11. Ἐν παρόδῳ] *In cursu*: quasi enim præteriens, & alias res agens, belli Parthici curâ occupatus, ἐν παρόδῳ regem Ariobarzanem, præsentibus insidiis circumventum, nec opinantem liberavi. MAN.

12. Ἀπρόσιτον] Non facilem aditu. Ἀδωροδόκητον, Muneribus incorruptum.

13. *Excitavi*] Hoc dicit: Rem Bruti desperatam restitui, quia rex, mihi tanto beneficio devinctus, pecuniam Bruto debitam, quam solvisset nunquam, me contendente soluturum se promisit. Epist. 1. & 3. lib. VI. MANUTIUS.

14. *Est totum*] In hoc omnia sunt. Sic locutus est epist. 4. lib. XV. Fam. IDEM.

15. *Decrevit*] Intelligit S. C. Marcello consule referente factum: quo senatûs voluntas apertè significabatur de successore Cæsari mittendo. epist. 8. lib. VII. Fam. IDEM.

publicè literas Romam mittere parabam. Uberiores erunt, quàm si ex Amano misissem. At te Romæ non fore? Sed [14] est totum, quod Kal. Mart. futurum est. Vereor enim, ne, cùm de provincia agetur, si Cæsar resistet, nos retineamur. His tu si adesses, nihil timerem. Redeo ad urbana: quæ ego diù ignorans, ex tuis jucundissimis literis a. d. v. Kal. Jan. denique cognovi. Eas diligentissimè Philogenes libertus tuus curavit perlongâ, & non satis tutâ viâ perferendas: nam quas Lenii pueris scribis datas, non acceperam. Jucundè de Cæsare, & quæ Senatus [15] decrevit, & [16] quæ tu speras: quibus ille si cedit, salvi sumus. [17] Incendio Plætoriano quòd Leius adustus est, minùs molestè fero. Lucceius [18] de Q. Cassio cur tam vehemens fuerit, & quid actum sit, aveo scire. Ego, cùm Laodiceam venero, Quinto, sororis tuæ filio, [19] togam puram jubeor dare: cui [20] moderabor diligentiùs. Dejotarus, cujus auxiliis magnis usus sum, ad me, ut scripsit, cum Ciceronibus Laodiceam venturus erat. Tuas etiam Epiroticas expecto literas, ut habeam rationem non modò negotii, verùm etiam otii tui. Nicanor in officio est, & à me liberaliter tractatur: quem, ut puto, Romam cum literis publicis mittam; ut diligentiùs perferantur, & idem ad me certa de te, & à te referat. [21] Alexis quòd mihi toties salutem adscribit, est gratum: sed cur non suis literis idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio quæritur [22] κέρας. Sed hæc hactenus. Cura, ut valeas, & ut sciam, quando cogites Romam. Etiam atque etiam vale. Tua, tuósque

16. *Quæ tu speras*] Cæsarem senatûs voluntati cessurum, provinciam successori traditurum. Idem.

17. *Incendio*] Graviter fero de incensâ Plætorii domo: sed eò minùs molestum est, quòd adusta simul est propinqua Leii domus, hominis non amici. Aut sic: Eo minùs molestè fero Plætorium condemnatum, quòd ex appendice judicii Plætoriani vocatus est Leius in judicium, *quò ea pecunia pervenerit*: ut Rabirius ex damnatione Gabinii. Idem. Posteriorem sensum alteri præfert Mongaltus noster: ac meritò quidem, ni fallor.

18. *De Q. Cassio*] Q. Cassio Longino; qui anno sequenti tribunus plebis cum Antonio collega ad Cæsarem profectus, propensum ad civile bellum impulit. Contentio igitur inter Lucceium, & Cassium, cùm alter Pompeio, alter Cæsari faveret. Id.

19. *Togam puram*] Virilem togam; quam sumebat prætextâ depositâ, anno XIV. finito. *Jubeor*, à fratre meo. Idem.

20. *Moderabor*] Ut minùs modesto, minùs continenti: qualem se posteà Q. filius magis quotidie præstitit. Idem.

21. *Alexis*] Attici servus amanuensis. Cur non literas ipse ad me mittit, sicuti amanuensis meus Tiro ad te mittit? Id.

22. *Κέρας*] Cornu, instrumentum musicum. De hoc iterum epist. 1. lib. VI. *Phemius*, cantoris nomen apud Homerum.

que Thermo & præsens Ephesi diligentissimè commendaram, & nunc per literas: ipsúmque intellexi esse perstudiosum tui. Tu velim, quod antea ad te scripsi, de domo Pammeni, des operam, ut, quod tuo meóque beneficio puer habet, cures, ne qua ratione convellatur. Utrique nostrum honestum existimo; tum mihi erit pergratum.

CICERO ATTICO SAL.

21 TE in Epirum salvum venisse, &, ut scribis, ex sententia navigasse, vehementer gaudeo: non esse Romæ meo tempore perneccessario, submolestè fero; hoc me tamen consolor, quòd non spero te istic jucundè hiemare,[1] & libenter requiescere.[2] Cassius, frater Q. Cassii, familiaris tui, pudentiores illas literas miserat (de quibus tu ex me requiris, quid sibi voluerint) quàm eas, quas postea misit, quibus per se scribit confectum esse Parthicum bellum. Recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli adventum, sed nullo nostro[3] συνεμπτώματι. Hodie verò hiemant in Cyrrhestica, maximúmque bellum impendet. Nam & Orodæ regis Parthorum filius in[4] provincia nostra est: nec dubitat Dejotarus, cujus filio pacta est Artavasdis filia, ex quo sciri potest, quin cum omnibus copiis ipse primâ æstate Euphratem transiturus sit. Quo autem die Cassii literæ victrices in Senatu recitatæ sunt, id est, Nonis Octobribus, eodem meæ tumultum nuntiantes. Axius noster ait, nostras auctoritatis plenas fuisse; illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatæ: quas certò scio plenas timoris fore. Ex iis rebus hoc vereor, ne, cùm Pompeius propter metum rerum novarum nusquam dimittatur, Cæsari nullus honos à Senatu habea-

1. *Et libenter requiescere*] Hæc delenda censuerant Ursinus, Muretus, Junius. Sed retinet Mongaltus, & ad ea refert, quæ leguntur epist. 19. *Vereor, ne in Epiro sollicitus sis non minùs, quàm nos hìc sumus.* Videant Critici.

2. *Cassius*] Hic M. Crassi quæstor in Parthos est profectus: Crasso interfecto, collectis exercitûs reliquiis, in Syriam profugit, quò Parthi posteà cùm irruissent, eos Antiochiâ, magnâ cæde editâ, rejecit. MANUTIUS.

3. Συνεμπτώματι] *Prospero successu* nullo nostro, id est, non pulsi à nobis.

4. *Provincia*] Cyrrhestica, Syriæ parte, Ciceronis provinciæ proxima: epist. 18. *Nostra*, igitur, populi Rom. MANUT.

habeatur; dum hic nodus expediatur, non putet Senatus, nos, ante quàm ſucceſſum ſit, oportere decedere: nec in tanto motu rerum tantis provinciis ſingulos [5] legatos præeſſe. Hìc, ne quid mihi prorogetur, quod [6] ne interceſſor quidem ſuſtinere poſſit, horreo: atque eo magis, quòd tu abes: qui conſilio, gratiâ, ſtudio multis rebus occurreres. Sed dices, me ipſum mihi ſollicitudinem ſtruere. Cogor: & velim ita ſit: ſed omnia metuo. Etſi bellum [7] ἀκροτελεύτιον habet illa tua epiſtola, quam dediſti nauſeans Buthroto: *Tibi, ut video, & ſpero, nulla ad decedendum erit mora.* Mallem, *ut video:* nihil opus fuit, *ut ſpero.* [8] Acceperam autem ſatis celeriter Iconii per Publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. In his [9] γλυκύπικρον illud confirmas, moram mihi nullam fore: deinde addis, ſi quid ſecus, te ad me fore venturum. Pungunt me dubitationes tuæ. Simul & vides, quas acceperim literas. Nam quas [10] Hermoni centurionis Camulæ ipſe ſcribis te dediſſe, non accepi. Lenii pueris te dediſſe ſæpè ad me ſcripſeras: eas Laodiceæ denique, cùm eò veniſſem, III Id. Febr. Lenius mihi reddidit, datas a. d. x Kal. Octobres. Lenio tuas commendationes & ſtatim verbis, & reliquo tempore re probabo. Hæ literæ cætera vetera habebant, unum hoc novum, de [11] Cybiratis pantheris. Multùm te amo, quòd reſpondiſti M. Octavio, te non putare. Sed poſthac omnia, quæ certa non erunt, pro certo negato: nos enim & noſtrâ ſponte bene firmi, & mehercule auctoritate tuâ inflammati, vicimus omnes (hoc tu ita reperies) cùm abſtinentiâ, tum juſtitiâ, facilitate, clementiâ. Cave putes quicquam homines magis unquam eſſe miratos, quàm nullum teruntium, me obtinente provinciam, ſumptus factum eſſe, nec in Rempublicam, nec in quemquam meorum, præterquam in L. Tullium legatum. Is, cæteroqui abſtinens, (ſed

5. *Legatos*] Rectores enim provinciarum, ſine ſucceſſione decedentes, legatos, qui præeſſent, relinquebant. Idem.

6. *Ne interceſſor*] Vereor, ne S. C. ejuſmodi fiat, quo tribuni ab interceſſione ſummoveantur. Idem.

7. Ἀκροτελεύτιον] Clauſulam.

8. *Acceperam*] Alias, ab his, quas tu nauſeans Buthroto dederas. Ac ſi dicat: Etſi ejus epiſtolæ mentionem facio unius, ſcito me tamen eas quoque accepiſſe, quas Romæ à Lentuli triumpho dederas. Malasp.

9. Γλυκύπικρον] Dulce amarum.

10. *Hermoni*] Liberto, aut ſervo. Man.

11. *Cybiratis*] Quæ apud Cybiram urbem Ciliciæ ab incolis venandi peritis capiebantur. Popma. Vide *Fam.* VI. 1. & lib. VIII. paſſim.

[12] Julia lege tranſitans, ſemel tamen in diem, non, ut alii ſolebant, omnibus vicis) facit ut mihi excipiendus ſit, cùm teruntium nego ſumptus factum. Præter eum accepit nemo. Has à noſtro [13] Q. Titinio ſordes accepimus. Ego, æſtivis confectis, Quintum fratrem hibernis, & Ciliciæ præfeci. Q. Voluſium, tui Tiberii generum, certum hominem, ſed mirificè etiam abſtinentem, miſi in Cyprum, ut ibi pauculos dies eſſet; ne cives Romani pauci, qui illic negotiantur, jus ſibi dictum negarent: nam evocari ex inſula Cyprios non licet. Ipſe in Aſiam profectus ſum Tarſo Nonis Januariis; non mehercule dici poteſt, qua admiratione Ciliciæ civitatum, maximéque Tarſenſium. Poſtea verò quàm Taurum tranſgreſſus ſum, mirifica expectatio Aſiæ noſtrarum diœceſium, quæ ſex menſibus imperii mei nullas meas acceperat literas, nunquam hoſpitem viderat. Illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quæſtu. Civitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant: Cyprii talenta Attica cc; qua ex inſula (non ὑπερβολικῶς, ſed veriſſimè loquor) nummus nullus me obtinente erogabitur. Ob hæc beneficia, quibus illi obſtupeſcunt, nullos honores mihi, niſi verborum, decerni ſino; ſtatuas, fana, [14] τέθριππα prohibeo: nec ſum in ulla re alia moleſtus civitatibus; ſed fortaſſe tibi, qui hæc prædicem de me. Perfer, ſi me amas: tu enim me hæc facere voluiſti. Iter igitur ita per Aſiam feci, ut etiam fames, quâ nihil miſerius eſt,

12. *Julia lege*] Quæ, tranſeuntibus, magiſtratúmque comitibus ut fœnum, aliáque, ab oppidis, & vicis ſumminiſtrarentur, jubebat. MANUTIUS.

13. *Q. Titinio*] Qui mihi legatum dedit L. Tullium. IDEM.

14. Τέθριππα] *Quadriga.* Inter divinos honores eſſe quadrigas ſatis conſtat. Itaque in nummis conſecratorum reperiuntur, & in aliorum quoque interdum fornicibus impoſitæ. Cùm ergo invaluiſſet, ut provinciales magiſtratibus divinos honores tribuerent, templáque ædificarent, etiam quadrigas æneas marmoreáſve poſuerunt. ERNESTUS.

15. *Idibus Febr.*] Eorum officium qui provinciis præerant, in duas partes fuit diſtributum, poteſtatem, & imperium. Poteſtas dicitur facultas cognoſcendi, & conficiendæ juris dictionis. Imperium, ducendi copias, & bellum gerendi. Hæc munera ita colebant, ut ætatem ferè rei militari, hiemem dicarent cognitioni prætoriæ, quæ in juris dictione potiſſimùm verſabatur. SIGONIUS, *de antiquo jure Provinc.* II. 5.

16. *Forum inſtitueram agere*] Ordinem exponit, quo ageret fora & conventus juridicos in iis regionibus, quas habebat in poteſtate. Habebat autem Ciliciæ adjunctas diœceſes ſex; Cybiraticam, Apamenſem, Synnadenſem, Pamphyliam, Lycaoniam, Iſauriam. Vide Sigonium *de ant. jure Provinc. lib.* II. Quocirca commemorat

est, quæ tum erat in hac mea Asia, (messis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit. Quacunque iter feci, nullâ vi, nullo judicio, nullâ contumeliâ; auctoritate, & cohortatione perfeci, ut & Græci, & cives Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. [15] Idibus Februariis, quo die has literas dedi, [16] forum instituera agere Laodiceæ Cybiraticum: Apamense ex Idibus Martii, ibidem Synnadense, Pamphylium, (tum Phemio dispiciam [17] κέρας) [18] Lycaonium, Isauricum: ex Idibus Maii, in Ciliciam, ut ibi Junius consumatur. Velim tranquillè à Parthis. Quintilis, si erit ut volumus, in itinere est per provinciam redeuntibus consumendus. Venimus enim in provinciam Laodiceam, Sulpicio & Marcello coss. pridie Kal. Sextiles: inde nos oportet decedere a. d. IV Kal. Sext. Primùm contendam à Quinto fratre, ut se præfici patiatur: quod & illo, & me invitissimo fiet: sed aliter honestè fieri non potest, præsertim cùm, virum optimum, Pontinium ne nunc quidem retinere possim. Rapit enim hominem Postumius Romam, fortasse etiam [19] Postumia. Habes consilia nostra: nunc cognosce de Bruto. Familiares habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum ex Cypro, M. Scaptium, & P. Matinium, quos mihi majorem in modum commendavit. Matinium non novi. Scaptius ad me in castra venit. Pollicitus sum curaturum me Bruti causâ, ut ei Salaminii pecuniam solverent: egit gratias. Præfecturam petivit: negavi me cuiquam ne-

memorat *forum Cybiraticum*, *Apamense*, *Synnadense*, *Pamphylium*, *Lycaonium*, *Isauricum*. Olivetus.

17. Κέρας] Curabo, ut Phemio inveniatur mandetúrque cornu aptum ac probatum. De hoc eodem suprà: *Phemio quæritur κέρας*. Infrà, VI. 1. Κέρας *Phemio mandatum est*. De musico hoc instrumento, quod Græci κέρας, Latini *cornu* vocant, differit Salmasius *in Solin. pag.* 123. *edit.* 1629; probátque, non differre illud à *tibia*, quæ Phrygia dicitur. Hinc apparet, cur dicat Cicero: Cùm illud agetur *forum Synnadense* (ad quod scilicet ventitare Phryges oportebat) *tum Phemio dispiciam κέρας*. Idem.

18. *Lycaonium*] Vocabulum hoc ex aliis erat editionibus ejectum. Sic habebant: *Dispiciam κέρας Aonium*, *Isauricum*, &c. Cornu *Aonium* intelligendum esse aiebant, ad musicos modulatus eximium; propterea quòd sedes Musarum esset in *Aonia*. Quemquámne arbitramur fore hominem, qui subtilitatem hanc anteponat sanitati ejus scripturæ, quam à Mongalto expositam in contextum admisi? Non videbit lucere meridie, qui quàm sit vera hæc emendatio non videbit. Annotationem eruditi ejus interpretis in hunc locum etsi non descripsi, ipsum tamen mihi in hac explicatione ducem fuisse gratus ac lubens agnosco. Idem.

19. *Postumia*] Ser. Sulpitii uxor, de quâ Sueton. in Julio. Bosius.

gotianti dare: quod idem tibi oſtenderam. Cn. Pompeio petenti probaram inſtitutum meum: quid dicam, [20] Torquato, in M. Lenio tuo? multis aliis. Si præfectus vellet eſſe [21] ſyngraphæ causâ, me curaturum ut exigeret. Gratias egit: diſceſſit. Appius noſter turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coerceret; & eundem habuerat præfectum. Vexabat Salaminios. Ego equites ex Cypro decedere juſſi: moleſtè tulit Scaptius. Quid multa? ut ei fidem meam præſtarem; cùm ad me Salaminii Tarſum veniſſent, & in his Scaptius, imperavi ut pecuniam ſolverent. Multa de ſyngrapha, de Scaptii injuriis. Negavi me audire. Hortatus ſum; petivi etiam pro meis in civitatem beneficiis, ut negotium conficerent: denique dixi me coacturum. Homines non modò non recuſare, ſed etiam hoc dicere, ſe [22] à me ſolvere. Quod enim Prætori dare conſueſſent, quoniam ego non acceperam, ſe à me quodam modo dare; atque etiam minùs eſſe aliquanto in Scaptii nomine, quàm in vectigali Prætorio. Collaudavi homines. Rectè, inquit Scaptius: ſed ſubducamus ſummam. Interim cùm ego in edicto tralatitio [23] centeſimas me obſervaturum haberem, [24] cum anatociſmi anniverſario, ille ex ſyngrapha poſtulabat [25] quaternas. Quid ais? inquam: poſſúmne contra meum edictum? At ille profert ſenatus-conſultum Lentulo Philippóque Coſſ. ut, qui Ciliciam obtineret, jus ex illa ſyngrapha diceret. Cohorrui primò: erat enim interitus civitatis. Reperio duo ſenatus-

20. *Torquato, in Lenio*] Cui petendi, ut Lenio tuo præfecturam deferrem, negavi, quia Lenius negotiator. Epiſt. 1. lib. VI. MANUTIUS.

21. *Syngraphæ causâ*] Si præfectus ideò eſſe vellet, ut eâ poteſtate nummos à Salaminiis exprimeret; non eſſe, cur præfecturam peteret: me enim curaturum, ut exigeret. IDEM.

22. *A me*] De meo. *Solvere ab aliquo* eſt, delegare debitorem, ſeu jubere debitorem noſtrum, quod nobis debebat, ſolvere creditori noſtro, quod nos illi debebamus. *Obſerv.* I. 21. J. F. GRON.

23. *Centeſimas*] Uſuras, quæ ſingulis menſibus nummum, duodenos annuos in ſingulos centenarios pariunt. GRÆVIUS.

24. *Cum anatociſmi anniverſario*] Scilicet incremento, hoc eſt, quicquid uſurarum non ſolviſſent, id ſingulis annis ſubduceretur, & ſorti adjiceretur. Ἀνατοκισμὸς enim eſt, cùm uſuræ non ſolutæ ſorti apponuntur, & in ſequentem menſem, vel annum, velut ſortis portio, & ipſæ uſuras pariunt. IDEM.

25. *Quaternas*] Quæternæ centeſimæ ſunt, cùm quatuor nummi menſtrui pro uſuris in centum poſcuntur, qui quadraginta octo in annum faciunt. IDEM.

26. *Lex Gabinia*] Legis Gabiniæ hæc vis fuit, ne provincialibus Romæ verſuram facere, id eſt, mutuum ſub uſuris ſumere liceret: ſi feciſſent, ne ex tali ſyngrapha jus redderetur. J. F. GRONOV.

natus-consulta iisdem Consulibus de eadem syngrapha. Salaminii cùm Romæ versuram facere vellent, non poterant; quòd [26] lex Gabinia vetabat. Tum ii, Bruti familiares, freti gratiâ Bruti, dare volebant IV, si sibi senatus-consulto caveretur. Fit gratiâ Bruti senatus-consultum: Ut *né-ve Salaminiis, né-ve qui eis dedisset, fraudi esset.* Pecuniam numerarunt: & postea venit in mentem fœneratoribus, *nihil se juvare illud* senatus-consultum, [27] *quòd ex syngrapha jus dici* lex Gabinia vetaret. Tum *fit* senatus-consultum, Ut *& ea syngrapha esset,* [28] *qua vi cæteræ. Sed* [29] ut eòdem; cùm hæc differuissem, seducit me Scaptius; ait se nihil contradicere; sed illos putare talenta cc se debere; ea se velle accipere: debere autem illos paulo minùs: rogat, ut eos ad cc perducam. Optimè, inquam. Voco illos ad me, remoto Scaptio. Quid vos? quantum, inquam, debetis? Respondent, CVI. Refero ad Scaptium. Homo clamare. Quid opus est? inquam: rationes conferatis. Assidunt; subducunt; ad nummum convenit: illi se numerare velle, urgere ut acciperet. Scaptius me rursus seducit; rogat, ut rem sic relinquam. Dedi veniam homini impudenter petenti. Græcis querentibus; ut [30] in fano deponerent, postulantibus non concessi. Clamare omnes qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset: alii, nihil stultius. Mihi autem impudens magis, quàm stultus, videbatur. Nam aut bono nomine, centesimis [31] contentus erat; aut non bono quaternas

27. *Quòd ex syngrapha*] Lex Gabinia caverat ne ulli provinciali legato Romæ pecunia sub usuris mutua daretur: & ne magistratus provinciales ex tali syngraphâ jus dicerent, si qui Romani apud eos quererentur de provincialium debitis non solutis. Senatus-consulto autem illo cavebatur tantùm ne multam legis Gabiniæ subirent, qui Salaminiis pecuniam dedissent, sub usuris mutuam; sed ut jus dicerent ex tali syngraphâ Proconsules contra legem Gabiniam non cautum erat Senatus-consulto. Idem.

28. *Qua vi*] Est, quo jure. Bosius.

29. *Ut eòdem*] Supple, revertar: nempe ad Scaptium.

30. *In fano*] Ne cogerentur amplius usuras solvere: & ita usura consisteret. Ep. 1. lib. VI. Corradus.

31. *Contentus erat*] Contentus erat futurus, cùm quaternas planè desperasset. Nam tum quidem apertè ostendebat, contentum se non esse. Tacitè igitur sic ratiocinabatur Scaptius, ut contentus tum esset centesimis, cùm de quaternis non succederet. Secum ipse videlicet ita loquebatur: De quaternis non impetro: quid agam? rem sic relinquere, è re meâ est: impetrabo fortasse ab alio proconsule, Bruti gratiâ, cujus commendatio apud hunc minùs valet, quàm speravi: differam, cùm in dilatione spes sit, neque tamen damni quidquam; quoniam usura non consistit, pecuniâ non depositâ. Manutius.

ternas centesimas sperabat. Habes meam causam: quæ si Bruto non probatur, nescio cur illum amemus: sed [32] avunculo ejus certè probabitur, præsertim cùm senatus-consultum modò factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum causa, ut centesimæ [33] perpetuo fœnore [34] ducerentur. Hoc quid intersit, si tuos digitos novi, certè habes subductum. In quo quidem [35] ὁδῷ παρεργον. Lucceius, M. filius, queritur apud me per literas, summum esse periculum, ne culpâ Senatûs his decretis res ad tabulas [36] novas perveniat. Commemorat, quid olim mali C. Julius fecerit, cùm dieculam [37] duxerit: nunquam Respublica [38] plus. Sed ad rem redeo. Meditare adversùs Brutum causam meam: si hæc causa est, contra quam nihil honestè dici potest; præsertim cùm integram rem & causam reliquerim. Reliqua sunt domestica. De [39] ἐνδομύχῳ probo idem, quod tu; Postumiæ filius, ille quoniam Pontidiæ nugatur: sed vellem adesses. A Quinto fratre his mensibus nihil expectâris: nam Taurus propter nives ante mensem Junium transiri non potest. Thermum, ut rogas, creberrimis literis fulcio. P. Valerium negat habere quicquam Dejotarus rex, eúmque ait à se sustentari. Cùm scies Romæ intercalatum sit, nécne, velim ad me scribas [40] certum, [41] quo die [42] mysteria futura sint. Literas tuas minùs paulo expecto, quàm si Romæ esses; sed tamen expecto.

32. *Avunculo*] M. Catoni.

33. *Perpetuo*] Ne usuræ usurarum solverentur, sed centesimarum perpetuum esset fœnus, alio prætereà fœnore non adjecto.

34. *Ducerentur*] In supputatione. Inde *Subduco*, & *rationes subducere*. IDEM.

35. ὁδῷ παρεργον] Quasi *præter propositum*, interponam hoc de Lucceio. Vide Ep. 8. lib. III. ad Q. Fr. IDEM.

36. *Novas*] Quibus pecuniæ creditæ creditoribus condonari solent. CORRAD.

37. *Duxerit*] Id est, quòd dies solvendi, laxior paulò constituta fuerit. MALASP.

38. *Plus*] Tulit mali, perspicuum est subaudiri. MANUTIUS.

39. Ἐνδομύχῳ] *Domestico negotio.* Sensus est: probo idem quod tu, Postumiæ scilicet filium uxorem ducere Tulliam: aut, Postumiæ filio Tulliam nuptui dari, quoniam ille Pontidiæ filius nugatur. Postumiæ filium vocat filium Ser. Sulpitii, cujus uxor erat Postumia. Vide suprà, ep. 4. BOSIUS.

40. *Certum*] Cæterum pro *certum* est in antiquo libro, & ita videtur legendum, interpunctionis notâ ad verbum *scribas* positâ. URSINUS.

41. *Quo die*] In quem diem incidant mysteria. Nam interkalatio ordinem dierum mutabat. MANUTIUS.

42. *Mysteria*] Bonæ Deæ.

EPISTO-

EPISTOLARUM AD ATTICUM

LIBER VI.

CICERO ATTICO SAL.



CCEPI tua literas a. d. quintum [1] Terminalia Laodiceæ, quas legi libentissimè, pleniſſimas amoris, humanitatis, officii, diligentiæ. His igitur reſpondebo; ſic enim poſtulas: nec [2] οἰκονομίαν meam inſtitutam, ſed ordinem conſervabo tuum. Recentiſſimas à Cybiſtris te meas literas habere ais, a. d. x Kal. Octob. datas: & ſcire vis, tuas ego quas acceperim: omnes ferè quas commemoras, præter eas, quas ſcribis Lentuli pueris & [3] Equotutico, & Brunduſio datas. Quare [4] non οἴχεται tua induſtria, quod vereris, ſed præclarè ponitur; ſi quidem id egiſti, ut ego dele Clarer: nam nullâ re ſum delectatus magis. Quòd meam [5] βαθύτητα in Appio tibi, [6] libertatem etiam in Bruto probo; vehementer gaudeo: I

Tom. VIII. I i

1. *Terminalia*] Quæ x. vel, ut alii volunt, IX. Kal. Mart. fiebant. Ovid. lib. II. *Faſt.* CORRADUS.

2. *Οἰκονομίαν*] Ordinem in re domeſtica: *μεταφορικῶς* hîc ſumitur pro ordine, quem ſcribentes ſervamus. MANUTIUS.

3. *Equotutico*] Apuliæ oppidulo, quod *verſu dicere non eſt*, ut inquit Horat. Sat. 5. lib. I. *Æquum Tuticum* Antoninus Auguſtus vocat. CORRAD. Scribendum, *& quas Equotutico* &c. BOSIUS *Baluzianus.*

4. *Non οἴχεται*] Non periit.

5. *Βαθύτητα* Vide lib. IV. epiſt. 6.

6. *Libertatem*] Qua uſus erat erga Scaptium, in negotio Cypriorum. Vide præcedentis libri epiſtolam ultimam. GRÆVIUS.

deo: ac putaram secùs. Appius enim ad me ex itinere bis, térve [7] ὑπομεμψιμοίρους literas miserat, quòd quædam à se constituta rescinderem. Ut si medicus, cùm ægrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei medico, qui sibi successerit, si, quæ ipse in curando constituerit, mutet ille: sic Appius, cùm [8] ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam, [9] προσανατρεφομένην eam à me non libenter videt; sed modò succenset, modò gratias agit. Nihil enim à me fit cum ulla illius contumelia: tantummodo dissimilitudo meæ rationis offendit hominem. Quid enim potest esse tam dissimile, quàm illo imperante, exhaustam esse sumptibus, & jacturis provinciam; nobis eam obtinentibus, nummum nullum esse erogatum nec privatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? Nunc autem domus mehercule nulla tanto consilio, aut tantâ disciplinâ gubernatur, aut tam modesta est, quàm nostra tota provincia. [10] Hanc nonnulli amici Appii ridiculè interpretantur: qui me idcirco putent bene audire velle, ut ille malè audiat, & rectè facere non meæ laudis, sed illius contumeliæ causâ. Sin Appius, ut Bruti literæ, quas ad te misi, significabant, gratias nobis agit, non molestè fero: sed tamen eo ipso die, quo hæc ante lucem scribebam, cogitabam ejus multa, iniquè constituta & acta, tollere. Nunc venio ad Brutum, quem ego omni studio, te auctore, sum complexus: quem etiam amare cœperam: [11] sed... dico? revocavi me, ne te offenderem. Noli enim putare, me quicquam maluisse, quàm, ut mandat is, facere: nec ullâ de re plus laborasse. Mandatorum autem mihi libellum dedit: iisdémque de rebus tu mecum egeras. Omnia sum diligentissimè perse-

7. Ὑπομεμψιμοίρους] Nonnihil querentes, leviter expostulantes.

8. Ἐξ ἀφαιρέσεως] Ἀφαίρεσις significat in re rustica & medica inutilium detractionem & ablationem. Τὰ αὔων ἀφαίρεσις, aridarum frondium resectio, est apud Theophrastum & alios. Sic medici ἀφαίρεσιν vocant, cùm aliquid *materiæ demitur* corpori. In eo autem genere, quod in detractione est, ponitur primo loco *sanguinis detractio*, à qua & Celsus initium facit: *sanguis* autem eleganter apud Latinos dicitur *pecunia*. Cicero ergo, cùm dicere vellet, ab Appio provinciam exhaustam esse, eleganter & lepidè dixit: *Appius ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curavit, sanguinem misit*, &c. *Itaque προσανατρεφομένην à me non libenter videt.* Προσανατρέφειν est contrarium detractionis. ERNESTUS.

9. Προσανατρεφομένην] Recreatam.

perſecutus. Primùm ab Ariobarzane ſic contendi, ut talenta, quæ mihi [12] pollicebatur, illi daret. Quoad mecum rex fuit, perbono loco res erat: pòſt à Pompeii procuratoribus ſexcentis premi cœptus eſt. Pompeius autem cùm ob cæteras cauſas plus poteſt unus, quàm cæteri omnes, tum quòd putatur ad bellum Parthicum eſſe venturus. Ei tamen ſic nunc ſolvitur, triceſimo quoque die talenta Attica XXXIII, & hoc ex tributis: nec id ſatis efficitur in uſuram menſtruam. Sed Cnæus noſter clementer id fert: [13] ſorte caret; uſurâ, nec eâ ſolidâ, contentus eſt. Alii neque ſolvit cuiquam, nec poteſt ſolvere: nullum enim ærarium, nullum vectigal habet. Appii inſtituto tributa imperat: ea vix, in fœnus Pompeii quod ſatis ſit, efficiunt. Amici regis duo tréſve perdivites ſunt: ſed ii ſuum tam diligenter tenent, quàm ego, aut tu. Equidem non deſino tamen per literas rogare, ſuadere, accuſare regem. Dejotarus etiam mihi narravit, ſe ad eum legatos miſiſſe de re Bruti: eos ſibi reſponſum retuliſſe, illum non habere: & mehercule ego ita judico, nihil illo regno ſpoliatius, nihil rege egentius. Itaque aut [14] tutelâ cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scævola, [15] fœnus & impendium recuſare. Ego tamen, quas per te Bruto promiſeram præfecturas M. Scaptio, & L. Gavio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli: nec enim in provincia mea negotiabantur. Tu autem meminiſti nos ſic agere, ut, quot vellet, præfecturas ſumeret, dum ne negotiatori. Itâque duas ei præterea dederam: ſed ii, quibus petierat, de provincia deceſſerant. Nunc cognoſce de Salaminiis: quod video tibi etiam novum accidiſſe, tanquam mihi. Nunquam enim ex illo audivi, illam pecuniam eſſe ſuam. Quin etiam libellum ipſius habeo, in quo eſt: *Salaminii pecuniam debent M. Scaptio, & P. Matinio, familiaribus meis.* Eos mihi commendat:

10. *Hanc*] *Hæc* pro *hanc* habet antiquus liber; & ita videtur legendum. Ursinus.

11. *Sed*] Ego ſic ſeparo, ut ſit primùm ἀποσιώπησις, ſed nunc odi, vel non ampliùs amo: deinde ἐπανόρθωσις, in qua ſecum neſcio quid cogitare videatur: & mox dicat, *revocavi me*, ne dicerem, quod volebam, ne te offenderem. Corradus.

12. *Pollicebatur*] Ob acceptum à me beneficium. Manutius.

13. *Sorte*] Pecunia credita. Idem.

14. *Tutelâ*] Mihi à Senatu commiſſa, ep. 2, & 4. lib. XV. Fam. Corradus.

15. *Fœnus & impendium pupilli recuſare* eſt, nomine pupilli bonam copiam ejurare, ſeu jurare illius patrimonium eſſe neque ſorti, neque uſuris ſolvendis idoneum. J. F. Gronovius.

adſcribit etiam, & quaſi calcar admovet, [16] interceſſiſſe ſe pro iis magnam pecuniam. Confeceram, ut ſolverent centeſimis ſexennii ductis [17] cum renovatione ſingulorum annorum. At Scaptius quaternas poſtulabat. Metui, ſi impetraſſet, ne tu ipſe me amare deſineres: nam ab edicto meo receſſiſſem; & civitatem, in [18] Catonis, & in ipſius Bruti fide locatam, meiſque beneficiis ornatam funditùs perdidiſſem. Atque hoc tempore ipſo impingit mihi epiſtolam Scaptius Bruti, rem illam ſuo periculo eſſe: quod nec mihi unquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam, ut præfecturam Scaptio deferrem. Id verò per te exceperamus, ne negotiatori: quod ſi cuiquam, huic tamen non. Fuerat enim præfectus Appio; & quidem habuerat turmas equitum, quibus incluſum in curia Senatum Salamine obſederat, ut fame Senatores quinque morerentur. Itaque ego, quo die tetigi provinciam, cùm mihi Cyprii legati Epheſum obviam veniſſent, literas miſi, ut equites ex inſula ſtatim decederent. His de cauſis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum ſcripſiſſe. Sed tamen hoc ſum animo: ſi Brutus putabit me quaternas centeſimas oportuiſſe decernere, qui in tota provincia ſingulas obſervarem, itáque edixiſſem, idque etiam acerbiſſimis fœneratoribus probaretur; ſi præfecturam negotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato noſtro in tuo Lenio, Pompeio ipſi in Sex. Statio negavi, & iis probavi; ſi equites deductos moleſtè feret, accipiam equidem dolorem, mihi illum iraſci, ſed multò majorem, non eſſe eum talem, qualem putaſſem.

16. *Interceſſiſſe*] Apparet, quam pecuniam Scaptius, & Matinius Salaminiis Romæ dederant, eam pecuniam & ipſos mutuam ſumpſiſſe, ſponſore Bruto. Nam, *Intercedere*, verbum eſt de ſponſionibus uſurpatum. *Tantum ſe pro te interceſſiſſe* dicebat. Phil. II. 18. MANUTIUS.

17. *Cum renovatione*] Cum anatociſmo anniverſario. Vide ep. 21. lib. V.

18. *Catonis & ... Bruti*] Cyprus Catonis erat clientela: epiſt. 4. lib. XV. Fam. Item Bruti, quia cum avunculo ſuo Catone fuerat, cùm is lege Clodiâ Cyprum inſulam Ptolemæo regi ademit. IDEM.

19. *Si huc Paulus venerit?*] Si, inquit, acciderit, ut L. Paulus, qui nunc conſul eſt, conſulatu functus, huc proconſul mittatur: malè cum Salaminiis agetur. Brutus enim contra eos omnia Scaptii causâ impetrabit: quatenus dare cogentur. Erat autem affinis Bruti Paulus; quòd ejus frater Lepidus Tertullam, Bruti ſororem, habebat in matrimonio. IDEM.

20. Ἀκοινωνήτως] Minimè familiariter.

21. *Cum eo*] Eſt eâ lege, eâ conditione, cum hac exceptione, hactenus, dum tamen. Livius VIII. 19. *Laviniis civitas data, ſacráque ſua reddita, cum eo, ut ædes Junonis communis Laviniis cum populo Romano eſſet.* Et mox: *Antium nova colonia miſſa, cum eo, ut Antiatibus permitteretur.* SCIOPPIUS.

taſſem. Illud quidem fatebitur Scaptius, me jus dicente, ſibi omnem pecuniam ex edicto meo auferendi poteſtatem fuiſſe. Addo etiam illud, quod vereor tibi ipſi ut probem. Conſiſtere uſura debuit, quæ erat in edicto meo: deponere volebant: impetravi ab Salaminiis ut ſilerent. Veniam illi quidem mihi dederunt; Sed quid iis fiet, [19] *ſi huc Paulus venerit?* Sed totum hoc Bruto dedi, *qui de me ad te humaniſſimas literas* ſcripſit: ad me autem, *etiam* cùm rogat aliquid, contumaciter, arroganter, [20] ἀκοινωνήτως ſolet ſcribere. Tu autem velim ad *eum ſcribas de his* rebus; ut ſciam quo modo hæc accipiat. *Facies* enim me certiorem. Atque hoc ſuperioribus literis ad te diligenter perſcripſeram: ſed planè te intelligere volui, mihi non excidiſſe illud, quod tu ad me quibuſdam literis ſcripſiſſes; ſi nihil aliud de hac provincia, niſi illius benevolentiam, deportaſſem, mihi id ſatis eſſe. Sit ſanè; quoniam ita tu vis: ſed tamen [21] cum eo credo, quod ſine peccato meo fiat. Igitur meo decreto [22] ſolvatur æs Scaptio ſtatim: quàm id rectum ſit, tu judicabis: ne ad Catonem quidem provocabo. Sed noli me putare [23] ἐγκλεύσματα illa tua abjeciſſe, quæ mihi in viſceribus hærent. *Flens* mihi meam famam commendaſti. Quæ epiſtola tua eſt, in qua mentionem non facias? Itaque iraſcatur qui *volet, patiar:* [24] τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ: præſertim cùm [25] ſex libris tanquam prædibus me ipſe obſtrinxerim, quos tibi tam valdè probari gaudeo. E quibus unum ἰσοστὸν requiris de Cn. Flavio, [26] Anci filio. Ille verò [27] ante Decemviros non fuit:

22. *Solvatur*] Alii paulo aliter; ſed eodem tamen redit ſententia, quam ſic interpretatur Malaſpina: Tu me, Attice, vis Bruto morem gerere: ſit ita ut vis, mos geratur: ſed tamen cum eo, quòd ſine peccato meo fiat, quod & te arbitror velle. Ergo te ipſum rogo; ne ad Catonem quidem provocabo. Quid? ſi decrevero utì res Scaptio quaternis ſtatim, ut Brutus contendit, ſolvatur: hoc meum decretum quale tibi videbitur? expérſne culpæ atque peccati? Malaspina.

23. Ἐγκλεύσματα] Hortationes.

24. Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ] Juſtitia & honeſtas mecum.

25. *Sex libris*] De Republica. Corrad.

26. *Anci*] Omnes mei veteres præter Decurtatum habent *Annii F.* ut & legitur apud Plinium lib. XXXIII. & Gellium lib. VI. Quia verò Annius nomen familiæ fuit, non prænomen, & filii à prænomine patris oſtendebantur, idcirco Manutius illud *Annii* mutavit in *Cnei*, quo modo vulgò legitur apud Livium. Verùm germanam lectionem nobis Decurtatus repræſentavit. Sic enim diſertè ſcriptum habebat, *Anci filius*: quo pacto ſe legiſſe apud Gellium refert Sebaſtianus Corradus. Fuit porrò *Ancus* prænomen Romanorum, quod Varro, ut ſcribit auctor Epitomes lib. X. Valerii Maximi, à Sabinis tranſlatum putabat, ipſe verò Valerius

quippe qui Ædilis curulis fuerit: qui magiſtratus multis annis poſt Decemviros inſtitutus eſt. Quid ergo profecit, quòd protulit faſtos? occultatam putant quodam tempore iſtam [28] tabulam, ut dies agendi peterentur à paucis. Nec verò pauci ſunt auctores, Cn. Flavium ſcribam faſtos protuliſſe, actionéſque compoſuiſſe: ne me hoc, vel potiùs Africanum, (is enim loquitur) commentum putes. [29] Οὐκ ἔλαθέ σὲ illud de geſtu hiſtrionis: tu ſceleſtè ſuſpicaris, ego [30] ἀφελῶς ſcripſi. De me imperatore ſcribis te ex Philotimi literis cognoſſe. Sed credo te, jam in Epiro cùm eſſes, binas meas de omnibus rebus accepiſſe, unas à Pindeniſſo capto, alteras à Laodicea, utraſque tuis pueris datas: quibus de rebus, propter caſum navigandi, per binos tabellarios miſi Romam literas publicè. De Tullia mea tibi aſſentior; ſcripſíque ad eam, & ad Terentiam, mihi [31] placere. Tu enim ad me jam antè ſcripſeras, *ac vellem te* [32] *in tuum veterem gregem retuliſſes.* Correctâ verò epiſtolâ Memmianâ, nihil negotii fuit: multò enim malo hunc à Pontidia, quàm illum à Servilia. Quare adjunges Aufium noſtrum, hominem ſemper amantem me; nunc credo, eò magis, quòd debet etiam fratris Appii amorem erga me cum reliqua hereditate creviſſe; qui declaravit quanti me faceret, cùm ſæpe, tum in

---

lerius è Græcia ejus originem repetebat, quòd cùm cubitus Græcè ἀγκὼν vocaretur, illi prænomen *Anci* imponi ſoleret, qui cubitum vitioſum haberet. Bosius *Baluz.*

27. *Ante Decemviros*] Qui teſte Livio creati ſunt anno U. C. 302.

28. *Iſtam tabulam*] Flavius ſcriba, cùm populus, qui dies aut nefaſti, aut faſti eſſent, ignoraret, eorúmque notionem à juriſconſultis peteret, ipſe faſtos circa forum in albo propoſuit, ut, quando lege agi poſſet, ſciretur. Quo beneficio populi gratiam, indéque curulem ædilitatem, libertino patre natus, obtinuit. Manut. Vide orat. pro Murena, cap. 11.

29. Οὐκ ἔλαθέ σὲ] *Non tibi latuit, non te fugit.* Quid ſit autem illud *de geſtu hiſtrionis*, fruſtrà quæras, cùm ſit nihil infrà, quo niti conjectura poſſit. Videtur tamen reſpicere aliquid, quod fuerit à Tullio poſitum in libris de Republica, ut vult Mongaltus noſter. Fortaſſe, quæ ibi *de geſtu hiſtrionis* legerat, cadere in Hortenſium Atticus ſuſpicabatur. Olivetus.

30. Ἀφελῶς] *Simpliciter*, ita, ut neminem morderem. Corradus.

31. *Placere*] Ut Tullia nubat equeſtris ordinis viro, ſicut antè fecit. Itaque malo procum de quo Pontidia dixit, quàm illum de quo Servilia, quorum alterum Atticus ſuſpicatus erat fuiſſe C. Memmium, ante exilium: pòſt errorem ſuum correxit, & alium eſſe ſcripſit; qui Ciceroni ſic placebat, ut nihil negotii fuerit ipſum in eam ſententiam adducere, ut de illo uno cogitaret: alter Servii Sulpitii & Poſtumiæ filius. Vide lib. V. ep. 24. Popma.

32. *In tuum veterem*] Tu Cicero filiam alicui ex equeſtri ordine collocaſſes, relictis patriciis. Corradus.

33. *Burſa*] T. Munatio Planco Burſa, ep. 2. lib. VII. Fam. Qui mihi diem dicere cogitarat. Aſcon. in Orat. pro Milon. Id

in [33] Burſa. Næ tu me ſollicitudine magnâ liberâris. [34] Furnii exceptio mihi non placet: nec enim ego ullum aliud tempus timeo, niſi quod ille ſolum excipit. Sed ſcriberem ad te de hoc plura, ſi Romæ eſſes. In Pompeium te ſpem omnem otii ponere non miror: ita res eſt; removendúmque cenſeo illud [35] *diſſimulantem*. Sed enim, [36] *οἰκονομία* ſi perturbatior eſt, tibi aſſignato: te enim ſequor [37] *σχεδιάζοντα*. Cicerones pueri amant inter ſe, diſcunt, exercentur: ſed [38] alter, utì dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget, alter calcaribus. Quinto togam puram [39] Liberalibus cogitabam dare: mandavit enim pater: ea ſic obſervabo, quaſi intercalatum non ſit. Dionyſius mihi quidem in amoribus eſt: pueri autem aiunt eum furenter iraſci: ſed homo nec doctior, nec ſanctior fieri poteſt, nec tui, meique amantior. Thermum, & Silium verè audis laudari: valde ſe honeſtè gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me, ſi voles. Jam Scroſa [40] vellem haberet, ubi poſſet. Eſt enim lautum negotium. Cæteri infirmant *πολίτευμα* Catonis. Hortenſio quòd [41] cauſam meam commendas, valde gratum. [42] De Amiano ſpei nihil putat eſſe Dionyſius. Terentii nullum veſtigium agnovi. Mœragenes certè periit: feci iter per ejus poſſeſſionem, in qua animal reliquum nullum eſt. Hæc non noram tum,

---

34. *Furnii exceptio*] Furnium tribunum plebis (ep. 18. lib. V.) Ciceronis ſtudioſum, legem opinor tuliſſe de rectoribus tranſmarinis, niſi Parthus moveret intra Quintilem menſem, eos poſſe decedere. At id ipſum tempus Cicero timebat, ideóque exceptionem illam minimè probabat. Volebat autem omnino ferri, ut annuo imperio terminato decederent. Man.

35. *Diſſimulantem*] Quod Atticus Pompeio attribuerat, cùm ita ſcriberet, *in Pompeium vel diſſimulantem* &c. Bosius.

36. *Οἰκονομία*] Ordo, & diſpoſitio rerum, quæ ſcribuntur. Manutius.

37. *Σχεδιάζοντα*] Fortuitò, repentè, & nullo ordine ſcribentem. Corradus.

38. *Alter*] Frenis agebat Quintus, ut ingenio valens plus etiam quàm ſatis eſſet; calcaribus Marcus, ut tardior. Man. Vide *Orat.* III. 9. *Brut.* 56.

39. *Liberalibus*] XII. Kal. Apr. Ego, inquit, Liberalia ſic obſervabo, quaſi intercalatum non ſit; ſuo, inquam, die, obſervabo, quando mihi eſt ignota intercalatio. Idem.

40. *Vellem*] Vellem haberet Scroſa provinciam, quam Cato repudiavit, ut poſſet edere ſpecimen integritatis ſuæ. Eſt enim provincia lautum ad hoc negotium. Nam cæteri, qui ambiunt illam provinciam, non ſic ut Cato illam adminiſtrarent, & ideò non tam digni ſunt, ut illi ſufficiantur, quàm Tremellius Scroſa. De Catonis repudiatione provinciæ ex Prætura oblatæ meminit Plutarchus in vita ejus. Popma.

41. *Cauſam*] Ne patiatur mihi provinciam prorogari. Ep. 13. lib. V. Manut.

42. *De Amiano*] Hi tres, Amianus, Terentius, Mœragenes, videntur Attico pecuniam debuiſſe. Et quo ſequitur, *Spei nihil*, explano, de exigenda pecunia. Id.

tum, cùm cum Democrito tuo locutus sum. [43] Rhosiaca vasa mandavi. Sed heus tu, quid cogitas? In felicatis [44] lancibus & splendidissimis canistris, oluscul*is* nos soles pascere: quid te in vasis fictilibus appositurum putem? [45] Κέρας Phemio mandatum est: reperietur; modò aliquid illo dignum canat. Parthicum bellum impendet. Cassius ineptas literas misit: nec dum Bibuli erant allatæ: quibus recitatis, puto fore, ut [46] aliquando commoveatur Senatus. Equidem sum magnâ animi perturbatione. Si, ut opto, non prorogatur *nostrum negotium*, habeo Junium & Quintilem in metu. Esto; duos quidem menses sustinebit Bibulus: quid illo fiet, quem reliquero, præsertim si fratrem? quid me autem, si non tam citò decedo? Magna turba est. Mihi tamen cum Dejotaro convenit, ut ille in meis castris esset cum suis copiis omnibus. Habet autem cohortes [47] quadringenarias nostrâ armaturâ xxx; equitum cIↃ cIↃ. Erit ad sustentandum, quoad Pompeius veniat; qui literis, quas ad me mittit, significat suum negotium illud fore. Hiemant in nostra provincia Parthi: expectatur ipse Orodes. Quid quæris? aliquantum est negotii. De Bibuli edicto nihil movi, præter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras, [48] *nimis gravi præjudicio in ordinem nostrum.* Ego tamen habeo [49] ἰσοδυναμοῦσαν, sed tectiorem, ex Q. Mucii P. filii edicto Asiatico, *Extra quàm si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat; ex fide bona:* multâque sum secutus Scævolæ; in iis illud, in quo sibi libertatem

43. *Rhosiaca*] Rhosus urbs erat sita in sinu Issico: de qua Strabo, & Plinius. Id oppidum celeberrimum erat vasis fictilibus, quæ ibi fiebant. Ideò Atticus volebat aliquot inde sibi curari, quæ Cicero scribit se mandasse. Bosius.

44. *Lancibus*] Jocus, quia scripserat Atticus, vasis fictilibus se esse usurum. Quid, inquit, cogitas? *in lancibus*, & *splendidissimis canistris* oluscula apponebas, iisque nos pascere solitus es, cùm præterea nullum esset obsonium: in vasis fictilibus, quæ humiliora sunt, quid appones? certè viliora esculenta. Manutius.

45. Κέρας] Vide lib. V. epist. 21.

46. *Aliquando commoveatur*] Aliquando Parthici belli curam suscipiat. Quod non esse confectum, ex Bibuli literis intelliget; contra quàm Cassius scripsit. Epist. 21. lib. V. Manutius.

47. *Quadringenarias*] Quæ quadringenos milites contineant: qua ex ratione xxx cohortes, erunt xii peditum millia, quibus si duo equitum, ut sequitur, millia conjungentur, duæ legiones fient, quas Dejotarus, ut scribit Cæsar, disciplinâ, atque armaturâ Romanâ complures annos constitutas habuit. Corradus.

48. *Nimis gravi*] Sic edixerat Bibulus de pactis conventis inter publicanos & provinciales; *Pacta conventa inter publicanos & provinciales, quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt, servabo.* Hanc exceptionem, *quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt*, scripserat

tatem cenſent Græci datam, ut Græci inter ſe diſceptent ſuis legibus. Breve autem edictum eſt propter hanc meam [50] διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putavi: quorum unum eſt provinciale, in quo eſt de rationibus civitatum, de ære alieno, de uſura, de ſyngraphis; in eodem omnia de Publicanis: alterum, quod ſine edicto ſatis commodè tranſigi non poteſt, de hereditatum poſſeſſionibus, de bonis poſſidendis, [51] magiſtris faciendis, vendendis: quæ ex edicto & poſtulari, & fieri ſolent. Tertium de reliquo jure dicundo [52] ἄγραφον reliqui. Dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum: itáque curo, & ſatisfacio adhuc omnibus. Græci verò exultant, quòd [53] peregrinis judicibus utuntur. Nugatoribus quidem, inquies. Quid refert? tamen ſe [54] αὐτονομίαν adeptos putant. [55] Veſtri enim, credo, graves habent, Turpionem ſutorium, & Vettium mancipem. De Publicanis quid agam, videris quærere. Habeo in deliciis, obſequor, verbis laudo, orno; efficio ne cui moleſti ſint. [56] Τὸ παραδοξότατον, uſuras eorum, quas pactionibus adſcripſerant, ſervavit etiam Servilius. Ego ſic: diem ſtatuo ſatis laxam; quam antè ſi ſolverint, dico me centeſimas ducturum: ſi non ſolverint, ex pactione. Itaque & Græci ſolvunt tolerabili fœnore; & Publicanis res eſt gratiſſima. Sic illa jam habent, pleno modio verborum honorem, invitationem crebram: quid plura? ſunt omnes ita mihi familiares, ut ſe quiſque maximè putet: ſed tamen [57] μηδὲν αὐτοῖς. [58] Scis reliqua. De ſtatua

---

pſerat Atticus nimis gravis eſſe præjudicii in ordinem equeſtrem, cujus erant publicani, quòd eos quodammodo argueret & vis, & doli mali. Nec enim Prætores eam adjeciſſent, niſi ſuſpicio fuiſſet publicanos quædam gerere conſueviſſe vi, & dolo malo. Proinde Cicero honori & exiſtimationi ejus ordinis conſultum cupiens de Bibuli edicto eam exceptionem ſuſtulit, ejuſque loco aliam ejuſdem vis, ſed tectiorem ex edicto Aſiatico P. Mutii repoſuit; & ſic rem verbis temperavit. Bos.

49. Ἰσοδυναμεῖσαν] Vis ejuſdem.

50. Διαίρεσιν] Diſtributionem.

51. *Magiſtris*] Auctionum.

52. Ἄγραφον] Non ſcriptum.

53. *Peregrinis*] Qui non eſſent Romani.

54. Αὐτονομίαν] Facultatem, libertatem utendi ſuis legibus.

55. *Veſtri enim*] Ironia. Vos etiam Romæ graves habetis judices, Turpionem ſutorium & Vettium mancipem; utrumque ſordidiſſimi quæſtus. Popma.

56. Τὸ παραδοξότατον] *Præter opinionem, & maximè mirandum.* Quòd uſuras, quas pepigerant, grandes nimis & centeſimas excedentes, ſervaverit Servilius vir ſeverus. Grævius.

57. Μηδὲν αὐτοῖς] *Nihil ipſis curæ eſt.* Supplendum μέλει.

58. *Scis reliqua*] Quæ perficiunt Græcam ſententiam. Manutius.

Africani, ([59] ὦ πραγμάτων ἀσυγκλώστων! sed me ipsum delectavit in tuis literis) ain' tu? [60] Scipio hic Metellus proavum suum nescit Censorem non fuisse? atque nihil habuit aliud inscriptum nisi *COS.* ea statua, quæ ad Opis [61] per te posita in excelso est. In illa item, quæ est ad [62] Πολυδεύκους, hercule inscriptum est, *COS.* quam esse ejusdem, status, amictus, anulus, imago ipsa declarat. At mehercule ego, cùm in [63] turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animadvertissem in [64] Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi; nunc video Metelli. [65] O ἀνισορησίαν turpem! Nam illud de Flavio & fastis, si secus est, commune erratum est; & tu bellè [66] ἠπόρησας; & nos publicam propè opinionem secuti sumus, ut multa apud Græcos. Quis enim non dixit, Εὔπολιν [67] τὸν τῆς ἀρχαίας ab Alcibiade navigante in Siciliam dejectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes: affert enim quas ille post id tempus fabulas docuerit: num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quòd cum multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur jacet Theophrastus, si id à Timæo tuo familiari reprehensum est? Sed nescire proavum suum Censorem non fuisse, turpe est: præsertim cùm post eum Consulem, nemo Cornelius, illo vivo, Censor fuerit. Quod de Philotimo, & de solutione H-S XXDC scribis,

59. Ὦ πραγμάτων ἀσυγκλώστων] *O perturbatum rerum ordinem*, quo tu uteris in literis tuis. IDEM.

60. *Scipio hic Metellus*] Constat ex Dione, Scipionem hunc Metellum, qui à Q. Cæcilio Metello Pio adoptatus est, Scipionis Nasicæ fuisse naturalem filium: ita ut avum habuerit, Scipionem Nasicam eum, qui Consul fuit cum D. Calpurnio Bestia, anno U. C. DCXLII. proavum, P. Scipionem Serapionem: qui Consul quidem fuit, Censor non fuit: quod Scipionem Metellum ignorasse, & vehementer miratur Cicero & irridet. Ignorasse autem se declaravit Scipio, tum ex sermone quem habuit cum Attico, in quo forsan Ciceronem apud eum reprehendebat, quasi in suis libris negasset Censorem fuisse: tum ex duabus ipsius Serapionis statuis, altera ad Opis, altera ad Pollucis posita, hoc intelligere potuerit: in quarum neutra Censor, in utraque Consul tantùm scriptum legatur; cùm omitti decus illud nec debuerit nec soleret: tum, denique quòd Africani statuam Censoriam, in Serapionis inscriptione posuerit, ac si ipse quoque Serapio Censor fuisset: nihilque referret, utrum Africani imago, Serapionis inscriptioni imponeretur, an hujus in Africani. Quæ inscitia Ciceroni eo turpior visa est, quòd animadvertere potuerit, post Nasicæ consulatum, non modò Nasicam ipsum, Censorem factum non fuisse, sed ne Cornelium quidem aliquem illo vivente. MAL.

61. *Per te posita*] Attici operâ, antiquitatis totius peritissimi, hisce in rebus multi usi sunt. IDEM.

62. Πολυδεύκους.] *Pollucis.* Supple, templum.

bis, Philotimum circiter Kalend. Januar. in Cherſoneſum audio veniſſe: ac mihi ab eo nihil adhuc. Reliqua mea Camillus ſcribit ſe accepiſſe: ea quæ ſint neſcio, & aveo ſcire. Verùm hæc poſteriùs, & coràm fortaſſe commodiùs. Illud me, mi Attice, in extrema ferè parte epiſtolæ commovit: ſcribis enim ſic, [68] τί λοιπόν? deinde me obſecras amantiſſimè, ne obliviſcar vigilare, & ut animadvertam quæ fiant. Num quid de quo inaudiſti? Etſi nihil ejuſmodi eſt: [69] πολλοῦ γε δεῖ: nec enim me fefelliſſet, nec fallet. Sed iſta admonitio tua tam accurata, neſcio quid mihi ſignificare viſa eſt. [70] De M. Octavio iterum jam tibi reſcribo, te illi probè reſpondiſſe. Paulò vellem fidentiùs. Nam Cælius libertum ad me miſit, & literas accuratè ſcriptas: ſed de pantheris fœdè, ac de [71] civitatibus. Reſcripſi alterum me moleſtè ferre, ſi ego in tenebris laterem, nec audiretur Romæ, nullum in mea provincia nummum, niſi in æs alienum, erogari; docuíque nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere: monuíque eum, quem planè diligo, ut, cùm alios accuſaſſet, cautiùs viveret. Illud autem alterum, alienum eſſe exiſtimatione mea, Cybiratas imperio meo publicè venari. [72] Lepta tuâ epiſtolâ gaudio exultat: etenim ſcripta bellè eſt, méque apud eum magna in gratia poſuit. Filiola tua gratum mihi fecit, quòd tibi

63. *Turma*] Aptè multitudinem ſtatuarum equeſtrium *turmam* vocat: nam equitum eſt turma propriè, ut *caterva* peditum. Anonymus.

64. *Serapionis*] Nempe Africani ſtatua impoſita fuerat baſi, quæ deſtinata ſtatuæ Serapionis, ei convenientem habebat inſcriptionem. Idem.

65. Ο ἀνιστορησίαν] O *hiſtoriæ inſcitiam.* Gruterus illud O, literis Romanis edidit, non Græcis. Et rectè quidem. Non enim Græcâ uti oratione, vel phraſi Tullius voluit, ſed Latinâ, etiamſi Græcam adhibuerit vocem, quoniam ſic breviùs dicebat venuſtiúſque, quàm ſi ſcripſiſſet, *O! ignorationem hiſtoriæ turpem.* Idem.

66. Ἠπόρησας] Dubitaſti.

67. Τὸν τῶ ἀρχαίας] Illum (Eupolim) ex veteri comœdia celebrem.

68. Τί λοιπόν] Quid ſupereſt?

69. Πολλοῦ] Multum quidem abeſt.

70. *De M. Octavio*] Ep. 21. lib. V.

71. *Civitatibus*] Scripſerat ad Ciceronem Cælius, ut & pantheras ſibi mitteret, & M. Feridii agros, *Fam.* VIII. 9, qui civitatibus fructus penderent, immunes eſſe vellet. De agris reſpondit Cicero; „ *In mea provincia nihil cuiquam adimitur*, „ *niſi ſi quid quis debeat.* Nam, creditori„ bus ut ſatisfiat, volo. Itaque non eſt, „ quòd petas, ut civitatibus adimam fru„ ctus, qui ex agris capiuntur. Ac miror, „ cur petas: cùm Romæ audire poſſis, „ nullum in mea provincia nummum, ni„ ſi in æs alienum, erogari. Quod ſi non „ auditur, meáque ſunt obſcura facta, ut „ tanquam in tenebris lateam, moleſtè fe„ ro. Manut.

72. *Lepta*] Præfectus fabrûm. Corradus. Liber unus Mſ. habet, *lectâ tuâ epiſtolâ Dionyſius gaudio exultat.* Lambinus.

diligenter mandavit, ut mihi salutem adscriberes; gratum etiam Pilia: sed illa officiosius, quòd mihi, [73] quem quidem nunquam vidit: igitur tu quoque salutem utrique adscribito. [74] Literas daturus pridie Kal. Januar. suavem habuisti recordationem clarissimi [75] jurisjurandi, quod ego non eram oblitus: magnus enim prætextatus illo die fui. Habes ad omnia, non, ut postulasti, [76] χρύσεα χαλκείων; sed paria paribus respondimus. Ecce autem alia pusilla epistola; quam non relinquam [77] ἀναντιφώνητον. Bene mehercule [78] potuit Lucceius Tusculanum; nisi fortè, solet enim cum suo tibicine: & velim scire quis sit status ejus. Lentulum quidem nostrum præ [79] ære Tusculanum proscripsisse audio. Cupio hos expeditos videre: cupio etiam Sextium: adde, si vis, Cælium: quibus omnibus est, [80] αἰδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δείσαν δ' ὑποδέχθαι. De Memmio restituendo ut Curio cogitet, te audisse puto. De Egnatii Sidicini [82] nomine nec nullâ, nec magnâ spe sumus. Pinarium, quem mihi commendas, diligentissimè Dejotarus curat graviter ægrum. Respondi etiam [83] minori. Tu, velim, dum ero Laodiceæ, id est, ad Idus Maias, quàm sæpissime mecum per literas colloquare: & cùm Athe-

---

73. *Quem quidem nunquam*] Vulgò, *quem jampridem nunquam*: sed ut repugnantia tollatur, quæ est in *jampridem*, & *nunquam*, emendavit Malaspina, uti nos edimus, Lambini audaciam hoc loco imitati. OLIVETUS.

74. *Literas*] Victorii lectionem exhibemus, nisi quòd ille *habuit*, nos *habuisti*. Sic enim locum hunc refinxerat Muretus, ab aliis aliter corruptum. Bosius verò legendum denique censuit, *Literarum datarum dies prid. Kal. Jan. suavem habuit* &c. ut ostendit codex Baluzianus, de quo in Præfatiuncula diximus. IDEM.

75. *Jurisjurandi*] Rempublicam atque urbem meâ unius operâ esse salvam. Vide *Fam.* V. 1. *Orat.* pro Domo &c.

76. Χρύσεα χαλκείων] *Aurea pro æneis.* Proverbium ductum ex Homero, ubi Glaucus & Diomedes arma permutant, ut aurea alter pro æneis acciperet. Iliad. Z'. 236. ERNESTUS.

77. Ἀναντιφώνητον] Sine responsione.

78. *Potuit*] Vendere: nisi fortè sibi retinet animi causâ: solet enim ibi se cum suo servulo tibicine oblectare. MANUTIUS. *Potuit* proscribere, ut æs alienum dissolvat, quod antè contraxit: *nisi fortè* aliquid parsimoniâ ex aliquo tempore comparserit. *Solet enim* jam non cum amplissimis viris, ut antè, convivari, sed *cum suo tibicine* versari. JUNIUS.

79. *Ære*] Ita Gruterus, ex Bosii conjectura: nam, *præ re*, habent Mss.

80 Αἰδεσθεν μὲν ἀνήνασθ] *Veriti sunt quidem recusare, timuerunt autem accipere.* Iliad. H'. 93. Similiter obæratos dicit Sextium & Cælium, & in illos omnes convenire versum hunc, quòd veriti essent à Pompeio & republica dissentire: timuissent autem à Cæsare, etiamsi propter æs alienum cuperent, pecunias accipere: sicut fecit Curio. POPMA.

81. *Restituendo*] De exilio Patrensi. Ep. 19. lib. XIII. Fam. CORRADUS.

82. *Nomine*] Pecunia ab Egnatio exigenda. MANUTIUS.

83. *Minori*] Scilicet epistolæ.

Athenas veneris, (jam enim ſciemus de rebus urbanis, de provinciis, quæ omnia in menſem Martium ſunt collata) utique ad me tabellarios mittas. Sed heus tu, jámne vos à Cæſare per Herodem talenta Attica quinquaginta extorſiſtis? in quo, ut audio, magnum odium Pompeii ſuſcepiſtis. Putat enim ſuos nummos vos comediſſe; Cæſarem [84] in Nemorenſi ædificando diligentiorem fore. Hoc ego ex P. Vedio, magno nebulone, ſed Pompeii tamen familiari, audivi. Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus eſſedis, & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna: pro qua, ſi Curio [85] legem pertulerit, H-S centena pendat neceſſe eſt. Erat præterea [86] cynocephalus in eſſedo: nec deerant onagri. Nunquam vidi hominem nequiorem: ſed extremum audi. Diverſatus eſt Laodiceæ apud Pompeium Vindullum: ibi ſua depoſuit, cùm ad me profectus eſt. Moritur interim Vindullus: quæ [87] res ad Magnum Pompeium pertinere putabatur. C. Vennonius domum Vindulli venit: cùm omnia obſignaret, in Vedianas res incidit. In his inventæ ſunt quinque imagunculæ matronarum, in quibus una ſororis amici tui, hominis [88] *bruti*, qui hoc utatur; & illius *lepidi*, qui hæc tam negligenter ferat. Hæc re volui [89] παιζοφρῆσαι: ſumus

84. *In Nemorenſi*] Cæſar ædificabat villam ſumptuoſiſſimam in nemore Aricino, ſacro Dianæ. Popma. Jocatur Cicero in ſolutionem à Cæſare factam Attico, & aliis ipſius Cæſaris creditoribus, qui illum ita importunè appellarant, ut coactus fuerit nummos eis dinumerare, quos ædificando Nemorenſi reſervarat. Bosius. *Diligentiorem*, eſt parciorem in faciendis ſumptibus. Grævius.

85. *Legem*] C. Scribonius Curio Tribunus plebis lege definierat jumentorum, vehiculorum, & ſervorum numerum, quibus ſinguli cives Romani ad iter faciendum uterentur: quam legem Viariam appellat Cælius in epiſtolâ quadam ad Ciceronem. In eam legem committebat P. Vedius, quòd cum pluribus vehiculis & numeroſiore familiâ iter faceret, quàm ea lex pateretur. Idcirco ſcribit Cicero eum pœnæ nomine H-S. centena penſurum, ſi ea lex perlata fuerit à Curione. Bosius.

86. *Cynocephalus*] Fuerunt Cynocephali è ſimiarum genere, de quibus vide Salmaſium ad Solinum. Grævius.

87. *Res*] Hereditas. Liberti enim patronis, & patroni æquè libertis heredes erant, cùm aut inteſtati, aut ſine filiis obiiſſent. Sin *gentilis* erat, de gentilitiâ hereditate accipiemus. Manutius.

88. *Bruti*] Alludit ad cognomina Bruti & Lepidi. M. Brutus, inquit, homo brutus & ſtolidus, qui Vedio familiariter utitur, nec animadvertit ſororem ſuam propter illum adulterii ſuſpectam eſſe: Lepidus verò, homo lepidus & facetus, qui tam turpem ſuſpicionem in uxore leviter curat, & negligenter fert. Duæ autem fuerunt ſorores Bruti; una Junia, uxor M. Lepidi poſtea Triumviri; altera Tertia ſive Tertulla, nupta C. Caſſio interfectori Cæſaris. Popma.

89. Παιζοφρῆσαι] Obiter ſcire.

enim ambo bellè curiosi. Unum etiam velim cogites. Audio Appium [90] προπύλαιον Eleusine facere : num inepti fuerimus, si nos quoque Academiæ fecerimus? Puto, inquies. Ergo id ipsum scribes ad me. Equidem valde ipsas Athenas amo : volo esse aliquod monumentum : odi falsas inscriptiones statuarum alienarum. Sed ut tibi placebit : faciésque me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem, & quo modo hiemaris. Cura ut valeas. [91] Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto.

90. Προπύλαιον] *Vestibulum*, ut esset in urbe celebri monumentum nominis sui. MANUTIUS.

91. *Post Leuctricam pugnam*, Quam *Bovillam* dixit, lib. V. epist. 13.

CICERO ATTICO SAL.

2 CUM Philogenes libertus tuus Laodiceam ad me salutandi causâ venisset, & statim ad te navigaturum esse diceret, has ei literas dedi; quibus ad eas rescripsi, quas acceperam à Bruti tabellario. Et respondebo primùm postremæ tuæ paginæ, quæ mihi magnæ molestiæ fuit; quòd ad te scriptum est à Cincio de Statii sermone: in quo hoc molestissimum est, Statium dicere, à me quoque [1] id consilium probari. Probari autem? de isto hactenus. Dixerim me vel plurima vincula tecum summæ conjunctionis optare: etsi sunt amoris arctissima: tantum abest, ut ego ex eo, quo adstricti sumus, laxari aliquid velim. [2] Illum autem multa de istis rebus asperiùs solere loqui sæpè sum expertus; sæpè etiam lenivi iratum. Id scire te arbitror. In hac autem peregrinatione, militiáve nostrâ, sæpe incensum irâ vidi, sæpe placatum. Quid ad Statium scripserit, nescio. Quidquid acturus de tali re fuit, scribendum tamen ad libertum non fuit. Mihi autem erit maximè curæ, ne quid fiat secus, quàm volu-

1. *Id consilium*] Consilium Quinti fratris de dimittendâ Pomponiâ, Attici sorore. Statius autem Quinti libertus. MAN.

2. *Illum autem*] Quintum. IDEM.

3. *Chæronis*] Chæronem loquentem induxerat Dicæarchus in libris περὶ τῶν εἰς Τροφωνίου καταβάσεως. Athenæus. MANUT.

4. Ἱστορικώτατος] Historiæ peritissimus.

5. Νεόκτιστα] Nuper condita.

6. Τῶν νεῶν] Navium enumeratione, Iliad. lib. II.

7. *Transtuli*] In libros de republicâ, ad quos

volumus, quámque oportet. Nec ſatis eſt in ejuſmodi re, ſe quemque præſtare. Ac maximè partes iſtius officii ſunt pueri Ciceronis, ſive jam adoleſcentis: quod quidem illum ſoleo hortari. Ac mihi videtur matrem valde, ut debet, amare, téque mirificè: ſed eſt magnum illud quidem, veruntamen multiplex pueri ingenium; quo ego regendo habeo negotii ſatis. Quoniam reſpondi poſtremæ tuæ paginæ primâ meâ; nunc ad primam revertar tuam. Peloponneſias civitates omnes maritimas eſſe, hominis non nequam, ſed etiam tuo judicio probati, Dicæarchi tabulis credidi. Is multis nominibus, in Trophoniana [3] Chæronis narratione, Græcos in eo reprehendit, quòd mare tam ſecuti ſunt: nec ullum in Peloponneſo locum excipit. Cùm mihi auctor placeret, (etenim erat [4] ἰσοεικώταλος, & vixerat in Peloponneſo) admirabar tamen, &, vix accredens, communicavi cum Dionyſio. Atque is primò eſt commotus: deinde, quòd tum de iſto Dicæarcho non minùs bene exiſtimabat, quàm tu de C. Veſtorio, ego de M. Cluvio, non dubitabat, quin ei crederemus. Arcadiæ cenſebat eſſe Lepreon quoddam maritimum: Tene autem, & Aliphera, & Tritia [5] νεόκτιστα ei videbantur; idque [6] τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ confirmabat, ubi mentio non fit iſtorum. Atque iſtum ego locum totidem verbis à Dicæarcho [7] tranſtuli. Phliaſios autem dici ſciebam, & ita fac [8] ut habeas; nos quidem ſic habemus. Sed primò me ἀναλογία deceperat, Φλιᾶς, Ὀπᾶς: Σικυᾶς: quod Ὀπάντιοι, Σικυάντιοι. Sed hoc continuò correximus. Lætari te noſtrâ moderatione & continentiâ video. Tum id magis faceres, ſi adeſſes; atque hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceæ ad Kal. Maias omnium diœceſium, præter Ciliciæ, mirabilia quædam effecimus: ita multæ civitates omni ære alieno liberatæ, multæ valde levatæ ſunt: omnes ſuis legibus & judiciis uſæ, [9] αὐτονομίαν adeptæ revixerunt. His ego duobus generibus facultatem ad ſe ære alieno liberandas, aut levandas dedi; uno, quòd omnino nullus in imperio

quos pertinebat diſputatio de commerciis & mercatibus civitatum, quibus maritimæ magis abundant & pollent, quàm mediterraneæ: quod ipſum etiam diſputat Ariſtot. in ſuis Polit. lib. VI. & VII. Pop.

8. *Ut habeas*] Ut corrigas. Nam *Phliuntios* non rectè ſcripſeram, analogiâ deceptus; quod ut ab Ὀπᾶς, Σικυᾶς, Ὀπάντιοι, Σικυάντιοι, item Phliuntios à Φλιᾶς deduci putaveram. Manutius.

9. *Αὐτονομίαν*] Facultatem ſuis legibus vivendi.

perio meo ſumptus factus eſt: nullum cùm dico, non loquor [10] ὑπερβολικῶς: nullus, inquam, ne teruntius quidem. Hac autem re incredibile eſt quantum civitates emerſerint. Acceſſit altera. Mira erant in civitatibus ipſorum furta Græcorum, quæ magiſtratus ſui fecerant: quæſivi ipſe de iis, qui annis decem proximis magiſtratum geſſerant: apertè fatebantur: itaque ſine ulla ignominia ſuis humeris pecunias populis retulerunt. Populi autem nullo gemitu Publicanis, quibus hoc ipſo luſtro nihil ſolverant, etiam ſuperioris luſtri reddiderunt. Itaque Publicanis in oculis ſumus. Gratis, inquis, viris. Senſimus. Jam cætera juriſdictio nec [11] imperita, & clemens cum admirabili facilitate. Aditus autem ad me minimè [12] provinciales. Nihil per cubicularium. Ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus. Grata hæc, & magna, mihique nondum laborioſa ex illa vetere [13] militia. Nonis Maii in Ciliciam cogitabam: ibi cùm Junium menſem conſumpſiſſem, atque utinam in pace, (magnum enim bellum impendet à Parthis) Quintilem in reditu ponere. Annuæ enim mihi operæ a. d. III. Kal. Sext. [14] emerentur. Magna autem in ſpe ſum, mihi nihil temporis prorogatum iri. Habebam acta urbana uſque ad Nonas Martias; è quibus intelligebam, Curionis noſtri [15] conſtantiâ omnia potiùs actum iri, quàm de provinciis. Ergo, ut ſpero, propediem te videbo. Venio ad Brutum tuum, immo noſtrum, ſic enim mavis. Equidem omnia feci, quæ potui aut in mea provincia perficere, aut in regno experiri. Omni igitur modo egi cum rege, & ago quotidie per literas ſcilicet. Ipſum enim triduum, quatriduúmve mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum liberavi. Sed & tum præſens, & poſtea creberrimè non deſtiti rogare, & petere meâ causâ; ſuadere, & hortari ſuâ. Multum profeci: ſed quantum, non planè, quia longè abſum, ſcio. Salaminios autem (hos enim poteram coercere) adduxi, ut totum

10. Ὑπερβολικῶς] Supra modum.

11. *Imperita*] Ita Vict. & Man. ſed Boſius, *impetrita*: Popma, *impœnita*: Lamb. *impedita*, ut conjecerat Corradus. Sed à Victorio cur diſcedatur, non video.

12. *Provinciales*] Difficiles, qualibus uti ſolent alii, qui provinciis præſunt. CORRAD. Vide ep. 1. lib. I. ad Q. Fr.

13. *Militia*] Cùm fui candidatus.

14. *Emerentur*] Hoc eſt, explentur. Inferiùs ep. 5. hujus lib. *annuum tempus propè jam emeritum habebamus.* CASAUB.

15. *Conſtantiâ*] Interceſſionis. Vide ep. 13. lib. VIII. Fam. CORRADUS.

totum nomen [16] Scaptio vellent ſolvere; ſed centeſimis ductis à proxima quidem ſyngrapha, nec perpetuis, ſed renovatis quotannis. Numerabantur nummi: noluit Scaptius. Tún' qui ais Brutum cupere aliquid perdere; quaternas habebat in ſyngrapha: fieri non poterat: nec, ſi poſſet, ego pati poſſem. Audio omnino Scaptium pœnitere. Nam quod ſenatus-conſultum eſſe dicebat, ut jus ex ſyngrapha diceretur, eo conſilio factum eſt, quòd pecuniam Salaminii contra legem Gabiniam ſumpſerant. Vetabat autem [17] Auli lex, jus dici de ita ſumpta pecunia. Decrevit igitur Senatus, ut jus diceretur ex iſta ſyngrapha. Nunc iſta habet juris idem, quod cæteræ, nihil præcipui. Hæc, à me ordine facta, puto me Bruto probaturum; tibi neſcio; Catoni certè probabo. Sed jam ad te ipſum revertor. Ain' tandem, Attice, laudator integritatis & elegantiæ noſtræ? *auſus es hoc ex ore tuo*, inquit Ennius, ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? an tu, ſi mecum eſſes, qui ſcribis morderi te interdum quòd non ſimul ſis, paterere me id facere, ſi vellem? *Non amplius*, inquis, *quinquaginta*. Cum Spartaco minùs multi primò fuerunt. Quid tandem iſti mali in tam [18] tenera inſula non feciſſent? non feciſſent autem? immo quid ante adventum meum non fecerunt? Incluſum in curia Senatum habuerunt Salaminium ita multos dies, ut interierint nonnulli fame. Erat enim præfectus Appii Scaptius, & habebat turmas ab Appio. Id me igitur tu, cujus mehercule os mihi ante oculos ſolet verſari cùm de aliquo officio, ac laude cogito, tu me, inquam, rogas, præfectus ut Scaptius ſit? aliàs hoc ſtatueramus, ut negotiatorem neminem: idque Bruto probaveramus. Habeat is turmas? cur potius, quàm cohortes? ſumptu jam [19] nepos evadit Scaptius? Volunt, inquis, [20] principes. Scio, nam ad me Epheſum uſque venerunt; flentéſque equitum ſcelera, & miſerias

16. *Scaptio*] Vide lib. V. ep. 21.

17. *Auli lex*] Auli Gabinii. Manut.

18. *Tenera*] Hoc eſt, parum munita, & injuriis opportuna. Casaubonus.

19. *Nepos*] Miratur Cicero, cur turmas equitum potiùs velit Scaptius, quàm peditum cohortes, cùm in illis alendis majores ſumptus facere oporteat: quaſique jocans dicit (ut putamus) *ſumptu jam nepos evadet Scaptius*, cùm primùm avarus ut fœnerator à nobis haberetur, nunc repentè prodigus & ſumptuoſus factus eſt. Vict.

20. *Principes*] Cypri. *Scio*, εἰρωνικῶς: ex hoc, inquit, judica, *&c.* Manut.

ſuas detulerunt. Itaque ſtatim dedi literas, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent: ob eámque cauſam, tum ob cæteras, Salaminii nos in cælum decretis ſuis ſuſtulerunt. Sed jam quid opus equitatu? ſolvunt enim Salaminii. Niſi fortè id volumus armis efficere, ut fœnus quaternis centeſimis ducant. Et ego audebo legere unquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, ſi tale quid fecero? Nimis, nimis, inquam, in iſto Brutum amaſti, dulciſſime Attice: nos, vereor, ne parum. Atque hæc, ſcripſi ego ad Brutum ſcripſiſſe te ad me. Cognoſce nunc cætera. Pro Appio nos hîc omnia faciemus; honeſtè tamen, ſed planè libenter: nec enim ipſum odimus: & Brutum amamus: & Pompeius mirificè à me contendit; quem mehercule plus plúſque in dies diligo. C. Cælium Quæſtorem huc venire audiſti. Neſcio, quid ſit: [21] ſed... [22] Pammenia illa mihi non placent. Ego me ſpero Athenis fore menſe Septembri. Tuorum itinerum tempora ſcire ſanè velim. [23] Εὐήθειαν Sempronii Rufi cognovi ex epiſtola tua Corcyræa. Quid quæris? invideo potentiæ [24] Veſtorii. Cupiebam etiam nunc plura garrire: ſed lucet; urget turba; feſtinat Philogenes. Valebis igitur, & valere Piliam, & Cæciliam [25] noſtram jubebis literis; & ſalvebis à meo Cicerone.

21. *Sed*] Ἀποσώπησις. Quaſi innuat Cicero Cælium non venturum, aut tale quid. Bosius.

22. *Pammenia*] Sunt negotia illa *Pammenis*, de quibus ſuprà lib. V. ſub finem epiſt. 20. Junius.

23. Εὐήθειαν] Fatuam ſimplicitatem.

24. *Veſtorii*] Cui controverſia fuerit cum homine tam fatuo. Vide ſuprà, V. 2. & *Fam.* VIII. 7. Manut.

25. *Noſtram*] Malim, *Cæciliam* noſtris *jubebis literis*. Muret.

Cicero Attico Sal.

3 Etsi nil ſanè habebam novi, quod pòſt accidiſſet, quàm dediſſem ad te Philogeni liberto tuo literas, tamen cùm Philotimum Romam remitterem, ſcribendum aliquid ad te fuit: ac primum illud, quod me maximè angebat, (non quò me aliquid juvare poſſes, quippe res eſt in manibus: tu autem abes longè gentium: [1] Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ Νότος κυλίνδῃ κύματ' εὐρείης

1. Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ νότος κυλίνδῃ κύματ' εὐρείης ἀλός] *Multos verò in medio auſter*

ρείης ἄλλος) obrepsit dies, ut vides, (mihi enim a. d. III Kal. Sext. de provincia decedendum est) nec succeditur. Quem relinquam, qui provinciæ præsit? Ratio quidem, & opinio hominum postulat fratrem: primùm, quòd videtur esse honos: nemo igitur potior. Deinde, quòd solum habeo Prætorium. Pontinius enim ex pacto & convento (nam ea lege exierat) jam à me discesserat. [2] *Quæstorem* nemo dignum putat: etenim est levis, *libidinosus*, [3] *tagax*. De fratre autem primùm illud est: *persuaderi ei non posse* arbitror: odit enim provinciam: & *hercule nihil odiosius, nihil molestius*. Deinde, ut mihi nolit *negare*; quidnam mei sit officii? cùm bellum esse in Syria magnum putetur, & id videatur in hanc provinciam eruptu-rum; hîc præsidii nihil sit; sumptus annuus decretus sit; videatúrne, aut pietatis esse meæ, fratrem relinquere; aut diligentiæ, [4] nugarum aliquid relinquere? Magnâ igitur, ut vides, sollicitudine afficior, magnâ inopiâ consilii. Quid quæris? [5] toto negotio nobis opus non fuit. Quanto tua provincia [6] melior? decedes cùm voles; nisi fortè jam decessisti: quem videbitur, præficies Thesprotiæ & Chaoniæ. Nec dum tamen ego Quintum conveneram; ut jam, si id placeret, scirem, possétne ab eo *impetrari*: nec tamen, si posset, quid vellem habebam. Hoc est igitur ejusmodi. Reliqua plena adhuc & laudis & gratiæ, digna *iis libris* quos dilaudas. Conservatæ civitates; cumulatè *Publicanis satisfactum*: offensus contumeliâ nemo; decreto justo & severo perpauci; nec tamen quisquam ut queri audeat. Res gestæ dignæ triumpho, de quo ipso nihil cupidè agemus; sine tuo quidem consilio certè nihil. Clausula est difficilis

auster volvit fluctus lati maris. Proverb. ingens intervallum: & multa in medio. Corradus.

2. *Quæstorem*] Cælius nondum venerat. Mescinium igitur intellige. Manut.

3. *Tagax*] Sic emendat Cujacius noster. Unde autem ducta sit vox *tagax*, in promptu est. Significatione quâdam obscurâ: quod si cui est, discat ex Festo, cujus hæc verba sunt, *Tagax, furunculus à tagendo dictus: cujus vocabuli Lucilius meminit: Et mutone manum proscribere posse tagacem*. Dicebant autem *tago*, veteres, pro, *tango*. Lambinus. Ita quoque ex Tornæsiano Bosius. Alii, *falax*: alii, *rapax*.

4. *Nugarum aliquid*] Levem hominem Mescinium. Non pius, si fratrem relinquo; non diligens, si quæstorem, rei militaris expertem. Manutius.

5. *Toto negotio nobis opus non fuit*] Id est, toto hoc negotio carere nos oportuit, nullámque provinciæ hujus partem attingere. Sic infrà: *Totis igitur literis nihil opus fuit*; quod est: Prorsus scribendum non fuit. Malaspina.

6. *Provincia*] Epirotica negotiatio. Man.

ficilis in tradenda provincia: sed hæc Deus aliquis gubernabit. De urbanis rebus scilicet plura tu scis; sæpius, & certiora audis. Equidem doleo, non me tuis literis certiorem fieri. Huc enim odiosa afferebantur [7] de Curione, de Paulo: non quò ullum periculum videam stante Pompeio, vel etiam sedente; valeat modò: sed mehercule Curionis & Pauli meorum familiarium vicem doleo. Formam igitur mihi totius Reipublicæ, si jam es Romæ, aut cùm eris, velim mittas; quæ mihi obviam veniat, ex qua me fingere possim, & præmeditari, quo animo accedam ad urbem. Est enim quiddam, advenientem non esse peregrinum atque hospitem. Et, quod penè præterii: Bruti tui causâ, ut sæpè ad te scripsi, feci omnia. Cyprii numerabant: sed [8] Scaptius centesimis, renovato in singulos annos fœnore, contentus non fuit. Ariobarzanes non in Pompeium prolixior per ipsum, quàm per me in Brutum, quem tamen ego [9] præstare non poteram: erat enim rex perpauper; aberámque ab eo ita longè, ut nihil possem nisi literis; quibus pugnare non destiti. Summa hæc est. Pro ratione pecuniæ liberatiùs est Brutus tractatus, quàm Pompeius. Bruto curata hoc anno talenta circiter centum: Pompeio in sex mensibus promissa cc. Jam in Appii negotio quantum tribuerim Bruto, dici vix potest. Quid est igitur, quòd laborem? Amicos habet meras nugas, Matinium, Scaptium; qui, quia non habuit à me turmas equitum, quibus Cyprum vexaret, ut ante me fecerat, fortasse succenset; aut quia præfectus non est, quod ego nemini tribui negotiatori; non C. Vennonio, meo familiari; non tuo M. Lænio; & quod tibi Romæ ostenderam me servaturum; in quo perseveravi. Sed quid poterit queri is, qui, auferre pecuniam cùm posset, noluit? [10] Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum. Is à me tribunatum cùm accepis-

7. *De Curione, de Paulo*] C. Scribonio Curione tribuno plebis, L. Æmilio Paulo consule, utroque Cæsaris causam defendente, acceptâ grandi pecuniâ. IDEM.

8. *Scaptius*] Lib. V. 21. VI. 1. 2.

9. *Præstare*] Præstare aliquem dicimur, cùm efficimus, ne quid is committat secus, quàm volumus: ut ad Q. Fr. *Ego Messalam Cæsari præstabo*. MANUTIUS.

10. *Scaptio*] Fuerunt enim duo Scaptii amici Bruti: unus negotiator in Ciliciâ, & præfectus Appii in Cypro; alter negotiator in Cappadociâ. POPMA.

11. *Canis*] Scio *canis* posse defendi ex historiâ: mihi tamen magis placeret *causa*, ut est emendatum in libro viri doctissimi. URSINUS.

accepiſſet, quem ego ex Bruti literis ei detuliſſem, poſtea ſcripſit ad me, ſe uti nolle eo tribunatu. Gavius eſt quidam; cui cùm præfecturam detuliſſem Bruti rogatu, multa & dixit, & fecit cum quadam mea contumelia, P. Clodii [11] canis. Is me nec proficiſcentem Apameam proſecutus eſt; nec, cùm poſtea in caſtra veniſſet, atque inde diſcederet, num quid vellem, rogavit; & fuit apertè mihi neſcio quare non amicus. Hunc ego ſi in præfectis habuiſſem, quem tu me hominem putares? qui, ut ſcis, potentiſſimorum hominum contumaciam nunquam tulerim, ferrem hujus aſſeclæ? etſi hoc plus eſt quàm ferre, tribuere etiam beneficii aliquid & honoris. Is igitur Gavius, cùm Apameæ me nuper vidiſſet Romam proficiſcens, me ita appellavit: (Culleolum [12] vix auderem) Unde, inquit, me jubes petere cibaria præfecti? Reſpondi leniùs, quàm putabant oportuiſſe, qui aderant; me non inſtituiſſe iis dare cibaria, quorum operâ non eſſem uſus. Abiit iratus. Hujus nebulonis [13] oratione ſi Brutus moveri poteſt, licebit eum ſolus ames; me æmulum non habebis. Sed illum eum futurum eſſe puto, qui eſſe debet. Tibi tamen cauſam notam eſſe volui: & ad ipſum hæc perſcripſi diligentiſſimè. Omnino (ſoli enim ſumus) nullas unquam ad me literas miſit Brutus, ne proximè quidem de Appio, in quibus non ineſſet arrogans, [14] ἀκοινώνητον aliquid. Tibi autem valde ſolet in ore eſſe, [15] *Granius autem*

Non contemnere ſe, & reges odiſſe ſuperbos:

in quo tamen ille mihi riſum magis, quàm ſtomachum movere ſolet: ſed planè parum cogitat, quid ſcribat, aut ad quem. Q. Cicero puer legit, ut opinor, & certè, epiſtolam inſcriptam patri ſuo. Solet enim aperire, idque de meo conſilio, ſi quid fortè ſit, quod opus ſit ſciri. In ea autem epiſtola erat illud idem de ſorore, quod ad me. Mirificè conturbatum vidi

12. *Culleolum*] Fam. lib. XIII. ep. 41. *ſcribit* ad L. Culleolum provinciæ præfectum: ſed, hîc alium, nullius pretii hominem, videtur intelligere. Manut.

13. *Oratione*] Alii legunt *operatione*: Boſius, *obiratione*: Junius, *ratione*.

14. Ἀκοινώνητον] Alienum à familiari conſuetudine.

15. *Granius*] Granius, inquit, quem potentiores deſpiciebant, ipſe ſe non contemnebat, ſed plurimi faciebat: idémque reges oderat ſuperbos, hoc eſt, magnates illos, qui ipſum deſpectui habebant. Hîc Cicero ſibi partes ſumit Granii Luciliani, ut Bruti faſtum, & arrogantiam retundat, uſurpátque verſus Lucilii, quos in ore frequenter Atticus habebat. Boſius.

puerum. Lacrymans mecum eſt queſtus. Quid quæris? miram in eo pietatem, ſuavitatem, humanitatémque perſpexi: quo majorem ſpem habeo, nihil fore aliter ac deceat. Id te igitur ſcire volui. Ne *illud* quidem prætermittam: Hortenſius filius fuit Laodiceæ [16] gladiatoribus flagitiosè & turpiter. Hunc ego patris causâ vocavi ad cœnam, quo die venit; & ejuſdem patris causâ, [17] nihil ampliùs. *Is mihi dixit*, ſe *Athenis* me expectaturum, ut mecum decederet. *Rectè, inquam: quid enim dicerem?* Omnino puto nihil eſſe quod dixit. *Nolo quidem*; ne offendam patrem, quem mehercule multùm *diligo. Sin fuerit* meus comes, moderabor ita, ne quid eum offendam, quem minimè volo. Hæc ſunt; etiam illud. Orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra [18] M. Servilium. Literas mitte quamprimùm. [19] Si nihil; nihil fieri, vel per tuum tabellarium. Piliæ, & filiæ ſalutem. Cura, ut valeas.

16. *Gladiatoribus*] Hoc eſt, cùm ludi gladiatorii ederentur Laodiceæ. GRÆV.

17. *Nihil ampliùs*] Ad cœnam vocavi, quòd eſſet Hortenſii filius: aliis eum officiis non ſum proſecutus, ne pater, cui ſcio odioſum, inviſúmque eſſe, moleſtè ferret. MANUT.

18. *M. Servilium*] De repetundis accuſatum. Ep. 8. lib. VIII. Fam. CORRAD.

19. *Si nihil*] Si nihil ſit, inquit, quod ſcribas, volo tamen mihi nunties vel per tuum tabellarium, nihil fieri. BOSIUS.

CICERO ATTICO SAL.

4 TARSUM venimus Nonis Juniis. Ibi me multa moverunt: magnum in Syria bellum; magna in Cilicia latrocinia; mihi difficilis ratio adminiſtrandi, quòd paucos dies habebam reliquos annui muneris: *illud* autem difficillimum, relinquendus erat ex ſenatus-conſulto, qui præeſſet. Nihil minùs probari poterat, quàm Quæſtor Meſcinius. Nam de Cælio nihil audiebamus. Rectiſſimum videbatur fratrem cum imperio relinquere: in quo multa moleſta, diſceſſus noſter, belli periculum, militum improbitas, ſexcenta præterea. O rem totam odioſam! ſed hæc fortuna viderit: quoniam conſilio non multùm *uti licet*. Tu, quando Romam ſalvus, ut ſpero, veniſti, *videbis*, ut ſoles, omnia, quæ intelliges noſtra intereſſe, *in primis* de Tullia mea: cujus [1] de conditione quid mihi placeret ſcripſi ad Teren-

1. *De conditione*] De nuptiis.

Terentiam, cùm tu in Græcia esses: deinde de honore nostro. Quòd enim tu abfuisti, vereor ut satis diligenter actum in Senatu sit de literis meis. Illud præterea [2] μυστικώτερον ad te scribam; tu sagaciùs odorabere. [3] Τῆς δαμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶσθα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι παρώλως, ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τῷ Κροτωνιάτῃ τυραννοκτόνῳ. Δέδοικα δή, μήτι νοήσῃς. Εἰς δήπου τοῦτο δὴ πεσεισκεμμένος, τὰ λοιπὰ ἐξασφάλισαι. Non queo tantum quantum vereor scribere. Tu autem fac ut mihi tuæ literæ volent obviæ. Hæc festinans scripsi in itinere, atque agmine. Piliæ, & puellæ Cæciliæ bellissimæ salutem dices.

2. Μυστικώτερον] Secretius.

3. Τῆς δαμαρτος] *Uxoris meæ libertus (nosti quem dico) visus est mihi dudum è verbis, quæ inconsideratè effutiebat, turbasse calculos, ex coëmptione bonorum Crotoniatæ tyrannicidæ*, hoc est, T. Annii Milonis, qui Clodium occidit. *Timeo, ne id adhuc non intellexeris. Unus nimirum hoc ubi consideraveris, reliqua in tuto pone.*

Cicero Attico Sal.

Nunc quidem profectò Romæ es, quò te, si ita est, salvum venisse gaudeo. Unde quidem quàm diù abfuisti, magis à me abesse videbare, [1] quàm si domi esses. Minùs enim mihi meæ notæ res erant, minùs etiam publicæ. Quare velim, etsi, ut spero, te hæc legente aliquantum tamen viæ processero, tamen obvias mihi literas quàm argutissimas de omnibus rebus crebrò mittas, in primis de quo scripsi ad te antea. [2] Τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς ὁ ἐξελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βαττολογίζων, ἢ ἀλύων τοῖς ξυλλόγοις ἢ ταῖς λέσχαις, ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τῆ Κροτωνιάτῃ. Hoc tu indaga, ut soles; aut hoc magis. [3] Ἐξ ἄστεως ἐπιπαλόφου τειχῶν παρέδωκεν μνῶν ϰδ, 5

1. *Quàm si domi esses*] Quàm si esses Romæ: & tamen minùs à me aberas, in Græciâ cùm esses. Manut.

2. Τῆς ξυναόρου] *Uxoris meæ libertus, visus est mihi sæpè garriens & errans in conciliabulis & circulis, quodam modo conturbasse rationes in bonis Crotoniatæ.*

3. Ἐξ ἄστεως] *Ex urbis septicollis mœnibus* (id est, Româ) *Camillo edidit* (Philotimus libertus uxoris meæ) *rationes XXIV. minarum, & XLVIII. minarum æris alieni* (ab uxore scilicet contracti) *séque debere XXIV. minas ex bonis Crotoniaticis* (hoc est Milonis) *& Chersoniticis* (in Chersoneso exactis) *XLVIII, & quamvis ex hereditatibus, quas adierit, redegerit bis sexcentas & quadragenas, se tamen æris illius alieni ne obolum quidem dissolvisse, cùm jam debeantur*

κδ, μη, ὀφειλημάτων Καμίλλω, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδ, ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν, καὶ ἐκ τῶν Χερρονησιατικῶν μ η· καὶ μνᾶς κληρονομήσας χμ, χμ, τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι, πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ. Τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὀλοσχερῶς πεφροντικέναι. Ταῦτα οὖν πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηται· δεύτερον δὲ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προεκκειμένης ἡμέρας. Ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν σφόδρα δέδοικα. Καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος, καί τι σχεδὸν ἐλπίσας. Ἀπογνοὺς δὲ ἀλόγως ἀπέστη, ἐπειπὼν, εἴκω. αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν: méque objurgavit vetere proverbio, [4] τὰ μὲν διδόμενα. Reliqua vide, &, [5] quantum fieri poteſt, perſpiciamus. Etſi annuum tempus propè jam emeritum habebamus: dies enim XXXIII erant reliqui: ſollicitudine provinciæ tamen vel maximè urgebamur. Cùm enim arderet Syria bello; & Bibulus in tanto mœrore ſuo maximam curam belli ſuſtineret; ad méque legati ejus, & Quæſtor, & amici literas mitterent, ut ſubſidio venirem: etſi exercitum infirmum habebam; auxilia ſanè bona, ſed ea Galatarum, Piſidarum, Lyciorum (hæc enim ſunt noſtra robora) tamen eſſe officium meum putavi, exercitum habere quàm proximè hoſtem, quoad mihi præeſſe provinciæ per ſenatus-conſultum liceret. Sed, quo ego maximè delectabar, Bibulus [6] moleſtus mihi non erat; [7] de omnibus rebus ſcribebat ad me potiùs: & mihi deceſſionis dies [8] λεληθότως obrepebat: qui cùm advenerit, [9] ἄλλο πρόβλημα, quem præficiam; niſi Caldus Quæſtor venerit; de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epiſtolam facere: ſed nec erat res, de qua ſcriberem; nec jocari præ cura poteram. Valebis igitur, & puellæ ſalutem Atticulæ dices, noſtræque Piliæ.

CICE-

beantur à Kal. ſecundi menſis: libertum autem ejus, qui idem, quod Cononis pater (Timotheus) *nomen habebat, nihil curaſſe. Primum igitur hoc, omnia ut ſerventur: alterum, ut ne uſuras quidem negligas, quæ debentur ex die ſuprà poſito. Per eos dies, quibus illum pertuli, magno in timore fui. Venerat enim explorandi causâ, atque aliquid ſperabat: qua ſpe fruſtratus abiit temerè; ſic fatus: Concedo, Turpe eſt diu manere, &c.* ex Hom. Iliad. B' 298.

4. Τὰ μὲν διδόμενα] Proverbium hoc ita ſuppleri ex Platonis Gorgia poteſt: τὰ μὲν διδόμενα ἀναγκὴ δέχεσθαι, *quæ dantur neceſſe eſt accipere.* ERNESTUS.

5. *Quantum fieri poteſt*] Lego, *quantum poteſt, perſpice. Nos etſi, &c.* BOSIUS *Baluzianus.*

6. *Moleſtus*] Non rogabar, ut ſubſidio venirem. Fam. lib. II. ep. 17. MANUT.

7. *De omnibus rebus*] Ut de filii auguratu, aliiſque rebus, potiùs quàm de bello.

8. Λεληθότως] Senſim, clàm.

9. Ἄλλο πρόβλημα] Alia quæſtio.

Cicero Attico Sal.

EGo dum in provincia omnibus rebus Appium orno, subitò 6
sum factus [1] accusatoris ejus socer. Id quidem, inquis, dii approbent. Ita velim: téque ita cupere certò scio. Sed crede mihi, nihil minùs putaram ego, qui de Tib. Nerone, qui mecum [2] egerat, certos homines ad mulieres miseram; qui Romam venerunt factis sponsalibus. Sed hoc spero melius. Mulieres quidem valde intelligo delectari obsequio & comitate adolescentis. Cætera noli [3] ἐξακανθίζειν. Sed heus tu, [4] πυροὺς εἰς δῆμον Athenis? [5] placet hoc tibi? etsi non impediebant mei certè [6] libri: non enim ista largitio fuit in cives, sed in hospites liberalitas. Me tamen de Academiæ [7] περιπύλῳ jubes cogitare; cùm jam Appius de Eleusine non cogitet? De Hortensio te certò scio dolere: equidem excrucior: decreram enim cum eo valde familiariter vivere. Nos provinciæ præfecimus Cælium: puerum, inquies, & fortassè fatuum, & non gravem, & non continentem. Assentior: fieri non potuit aliter. Nam quas multo antè tuas acceperam literas, in quibus [8] ἐπέχειν te scripseras quid esset mihi faciendum de relinquendo; eæ me pungebant. Videbam enim, quæ tibi essent ἐποχῆς causæ, (& erant eædem mihi) puero tradere me: fratri autem, illud non utile nobis. Nam præter fratrem nemo erat, quem sine contumelia Quæstori, nobili præsertim, anteferrem. Tamen, dum impendêre Parthi videbantur, statueram fratrem relinquere, aut etiam Reipublicæ

1. *Accusatoris*] Dolabellæ. Manut.

2. *Egerat*] De Tulliæ conjugio. Et Nero hic est, opinor, de quo Fam. lib. XIII. ep. 63. & 64. qui Tiberii Imperatoris pater fuit. Idem.

3. Ἐξακανθίζειν] Propriè *spinas vellere & colligere.* Hîc spinæ sunt Dolabellæ vitia, quæ non vult ex superiori ejus vita colligi. Idem.

4. Πυρὲς] Frumenta in populum.

5. *Placet hoc tibi?*] Elegans usus verbi *placet.* Cùm in manifesto peccato aliquem deprehenderant, ita ut ne ipse quidem factum suum defendere posse videretur: ita eum interrogabant: *Placet hoc tibi?* Sic Thais Terentiana deprehensum Chæream leviter objurgans: *Satin' hoc tibi placet?* Tibullus in carmine obscœno: *placet . . . qui sub arborum coma*, & quæ sequuntur. Piget enim adscribere. Muret. *Var. Lect.* XV. 8.

6. *Libri*] De Republicâ, in quibus improbavi largitionem in cives: videtur enim ad tyrannidem spectare. Manut.

7. Περιπύλῳ] Vide hujus libri ep. 1.

8. Ἐπέχειν] Dubitare, assensionem retinere. Ἐποχῆς, dubitationis.

causâ contra senatus-consultum ipse remanere: qui postea quàm incredibili felicitate discessérunt, sublata dubitatio est. Videbam sermones: hui fratrem reliquit? num est hoc non plus annum obtinere provinciam? quid, quòd Senatus eos voluit præesse provinciis, qui non præfuissent? at hic [9] triennium. Ergo hæc [10] ad populum. Quid, quæ tecum? nunquam essem sine cura, si quid iracundius, aut contumeliosius, aut negligentius; quæ fert vita hominum. Quid, si quid filius puer, & puer bene sibi fidens? qui esset dolor? quem pater [11] non dimittebat; téque [12] id censere molestè ferebat. At nunc Cælius, [13] non dico equidem quid egerit; sed tamen multo minùs laboro. Adde illud, Pompeius eo robore vir, iis radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit, Cæsar Antonium: ego sorte datum offenderem? [14] ut etiam inquireret in eum, quem reliquissem? [15] Hoc melius: & hujus rei plura exempla: senectuti quidem nostræ profectò aptius. At te apud eum, dii boni! quanta in gratia posui? eique legi literas non tuas, sed [16] librarii tui. Amicorum literæ me ad triumphum vocant, rem à nobis, ut ego arbitror, propter hanc [17] παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam. Quare tu quoque, mi Attice, incipe id cupere; quo nos minùs inepti videamur.

CICE-

---

9. *Triennium*] In Asiâ.

10. *Ad populum*] Dicerem, afferrem, cùm excusarem me, quòd fratrem provinciæ non præfeciſſem. Tibi autem alias causas exponerem. Dicerem enim, timuisse me, ne quid in provinciâ Quintus committeret iracundiùs, &c. MAN.

11. *Non dimittebat*] Mansisset igitur in provinciâ cum patre, faciléque quia puer, & puer bene sibi fidens, commisisset, quod esset nobis magnopere dolendum. IDEM.

12. *Id censere*] Dimittendum. IDEM.

13. *Non dico equidem quid egerit*] Legendum est: *Non dico equidem quicquid egerit.* MURETUS, Var. Lect. XV. 8. Meliùs in Mss. *Sed tamen quod egerit, multo minùs laboro.* F. URSINUS.

14. *Ut etiam*] Manutius, *aut etiam inquirerem in eum, &c.* Ut sit sensus: Ne inquirere quidem in eum debui, nedum non relinquere.

15. *Hoc melius*] Quòd quæstorem potiùs, quàm fratrem, reliquerim. MAN.

16. *Librarii tui*] Hoc est, quas non tu, sed tuus, dictante me, scripsit librarius. Nicanor, ut videtur, quem secum adduxerat Cicero. Atticus vicissim literas non rarò scribebat Ciceronis nomine. MONGALTUS.

17. Παλιγγενεσίαν] *Alterius* quasi *vitæ instaurationem*, propter exilium. MANUT.

Cicero Attico Sal.

Quintus filius, piè sanè, me quidem certè multùm hortante, sed currentem, animum patris sui sorori tuæ reconciliavit. Eum valde etiam tuæ literæ excitarunt. Quid quæris? confido rem, ut volumus, esse. Bis ad te antea scripsi de re mea familiari, si modò tibi redditæ literæ sunt, Græcè [1] ἐν αἰνίγμοις. Scilicet nihil est movendum: sed tamen [2] ἀφελῶς percunctando de nominibus Milonis, & ut expediat, ut mihi recepit, hortando, aliquid ita tu proficies. Ego Laodiceæ Quæstorem Mescinium expectare jussi, ut confectas rationes lege Julia [3] apud duas civitates possim relinquere. Rhodum volo [4] puerorum causâ; inde quamprimùm Athenas, etsi eteſiæ valde reflant: sed planè volo his magistratibus, quorum voluntatem [5] in supplicatione sum expertus. Tu tamen mitte mihi, quæso, obviam literas, num quid putes Reipublicæ nomine tardandum esse nobis. Tiro ad te dedisset literas, nisi eum graviter ægrum Ilsi reliquissem. Sed nuntiant, melius esse: ego tamen angor: nihil enim illo adolescente castius, nihil diligentius. 7

1. Ἐν αἰνίγμοις] Ænigmaticè.
2. Ἀφελῶς] Simpliciter.
3. *Apud duas civitates*] Depositit Laodicææ, & Apameæ, totidémque verbis ad ærarium retulit. *Fam.* V. 20. Manut.
4. *Puerorum*] Ut inde Cicerones pueros secum deduceret. Lib V. epist. 18. & epist. 17. lib. II. Fam. Idem.
5. *In supplicatione*] Quæ triumphi penè semper prærogativa est. Corrad.

Cicero Attico Sal.

Cum instituissem ad te scribere, calamúmque sumpsissem, Batonius è navi rectà ad me venit domum Ephesi, & epistolam tuam reddidit prid. Kal. Octobres. Lætatus sum felicitate navigationis tuæ, [1] opportunitate Piliæ, etiam mehercule sermone ejusdem de conjugio Tulliæ meæ. Batonius autem miros terrores ad me attulit Cæsarianos: cum Lepta etiam plura locutus 8

1. *Opportunitate Piliæ*] Quæ tibi obviam progressa, opportunè advenienti occurrerit. Manutius.

cutus est: spero falsa, sed certè horribilia: [2] exercitum nullo modo dimissurum: cum illo Prætores designatos, Cassium Tribunum plebis, Lentulum Consulem facere: Pompeio in animo esse urbem relinquere. Sed heus tu, num quid molestè fers [3] de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuæ filii? at à quibus victus? sed ad rem. Nos etesiæ vehementissimè tardarunt. Detraxit xx ipsos dies etiam [4] aphractus Rhodiorum. Kal. Octob. Epheso [5] conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquitio, simul è portu egredienti, sed expeditiùs naviganti. Nos Rhodiorum aphractis, cæterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus. Ita tamen properabamus, ut non posset magis. De [6] rauduscula Puteolano gratum. Nunc velim dispicias res Romanas: videas, quid nobis de triumpho cogitandum putes; ad quem amici me vocant. Ego, nisi Bibulus, qui, dum unus [7] hospes in Syria fuit, pedem portâ non plus extulit, quàm [8] domo sua, adniteretur de triumpho, æquo animo essem. Nunc verò [9] αἰσχεὸν σιωπᾷν. Sed explora rem totam: ut, quo die congressi erimus, consilium capere possimus. At [10] multa; qui & properarem, & ei literas darem qui aut mecum, aut paulo antè venturus esset. Cicero tibi plurimam salutem dicit: tu dices utriusque nostrûm verbis & Piliæ tuæ, & filiæ.

CICE-

2. *Exercitum*] Anno insequenti petendi consulatûs causâ. Cùm enim lex esset, ut absentes consulatum petere non possent; obtinuerat Cæsar decem tribunorum rogatione, consule Pompeio, ut & absens, & cum imperio posset petere. ID. Scribendum, *Cæsarem exercitum*, &c. BOSIUS *Baluzianus*.

3. *De illo*] C. Hirro qui repulsam tulèrat in Ædilitate curuli, victus à M. Cælio, ut in petitione Auguratûs à Cicerone, cui se solitus erat anteferre. Fam. lib. VIII. ep. 9. POPMA.

4. *Aphractus*] Quo tum periculosè, tum tardè navigavimus. MANUT. Quid ἄφρακτον, vide suprà V. 11.

5. *Conscendentes*] In navem scilicet. Nam sine adjectione navis, sic *conscendere* Cicero usurpat. GRÆVIUS.

6. *Rauduscula*] Fortè, quòd pecuniam dissolveris. Vide Ep. IV. 7. MANUT.

7. *Hospes*] Alii, *hostis*. Plus est, quàm, *Dum unus hostis*: cùm non modò hostes, sed & hospites, Bibulus timuerit. IDEM.

8. *Domo sua*] Cùm domo consul se tenuit metu Cæsaris collegæ. IDEM.

9. *Αἰσχεὸν σιωπᾷν*] *Turpe tacere.* Versus Euripidis in Philocteta. Vide lib. III. de Orat. cap. 35.

10. *Multa*] Supple, vel scripsi, vel scribenda supereſſent mihi.

Cicero Attico Sal.

IN Piræea[1] cùm exiſſem prid. Idus Octob. accepi ab Acaſto,[2] ſervo meo, ſtatim tuas *literas*: quas quidem cùm expectaſſem jam diù, admiratus ſum, ut vidi obſignatam epiſtolam, brevitatem *ejus*; *ut* aperui, rurſus [3] *σύγχυσιν* literularum, quæ *ſolent tuæ compoſitiſſimæ* & clariſſimæ eſſe: ac, ne multa, *cognovi ex eo*, quòd ita ſcripſeras, te Romam veniſſe a. d. XII *Kalend.* Octob. cum febri. Percuſſus vehementer, nec magis quàm debui, ſtatim quæro ex Acaſto. Ille & tibi, & ſibi viſum, & ita ſe domi ex tuis audiſſe, ut nihil eſſet incommodè. Id videbatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem ſcripſiſſe. Sed amavi tamen; admiratúſque ſum, quòd nihilo minùs ad me tua manu ſcripſiſſes. Quare de hoc ſatis. Spero enim, quæ tua prudentia & temperantia eſt, & *hercule*, ut me jubet Acaſtus, confido te jam, ut volumus, valere. *A* Turannio te accepiſſe meas literas gaudeo. [4] *Παραφύλαξον*, ſi me amas, *τὴν τοῦ φυσαλοῦ φιλοτιμίαν αὐτόπατα*. Hanc, quæ mehercule mihi magno dolori eſt, (dilexi enim hominem) procura, quantulacunque eſt, Præcianam hereditatem. Prorſus *ille* ne attingat. *Dices*, nummos mihi opus eſſe ad apparatum triumphi: *in quo*, ut *præcipis*, nec me [5] *κενὸν* in expetendo cognoſces, nec *ἄτυφον* in abjiciendo. Intellexi ex tuis *literis*, te ex Turannio audiſſe, à me provinciam fratri traditam. *Adeón'* ego non perſpexeram prudentiam *literarum* tuarum? [6] *Ἐπέχειν* te ſcribebas. Quid erat dubitatione dignum, ſi eſſet quidquam cur placeret, fratrem, & talem fratrem relinqui? [7] *ἀθέτησις* iſta mihi tua, non *ἐποχὴ* videbatur. Monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem. [8] *Τέμον ὄνειρον ἐμοί*. Eadem omnia, quaſi collocuti eſſemus, vidimus. Non

9

1. *Cùm exiſſem*] E navi. Corrad.

2. *Servo meo*] Lege: *Statore meo*. Muretus, Var. Lect. XV. 8.

3. Σύγχυσιν] Confuſionem.

4. Παραφύλαξον] *Obſerva*, ſi me amas, *conturbatoris* Philotimi *cupiditatem quàm maximè*, & *curæ*, ne Præcianam hereditatem attingat. Vide *Fam.* XIV. 5.

5. Κενὸν] Inanem. Ἄτυφον, ſine faſtu.

6. Ἐπέχειν] Aſſenſum ſuſtinere.

7. Ἀθέτησις] Improbatio.

8. Τέμον ὄνειρον ἐμοί] *Meum mihi ſomnium* ſubaudi, *narrabas*.

fuit faciendum aliter, méque [9] ἐπιχρονία ἐποχὴ tua dubitatione liberavit. Sed puto te accepisse de hac re epistolam scriptam accuratiùs. Ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto antè venturos, quàm nostrum Saufeium: sed eum sine meis literis ad te venire vix rectum erat. Tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id est, de Dolabella, perscribas; de Republica quam prævideo in summis periculis; de Censoribus, maximéque de signis, tabulis quid fiat; [10] referatúrne. Idibus Octob. has dedi literas: quo die ut scribis, Cæsar Placentiam [11] legiones quatuor. Quæso, quid nobis futurum est? In arce Athenis statio mea nunc placet.

9. Ἐπιχρονία] *Diuturna tua dubitatio* fecit, ut non amplius dubitarem.

10. *Referatúrne*] A censoribus ad senatum, ut S. C. fiat de sumptu signorum, & tabularum coërcendo. Fam. lib. VIII. epist. 14. MANUT. Nostri, *Referantur*. Ut puto, meliùs. Solebant enim Ædiles, tabulas signáque & alia ornamenta à civitatibus atque hospitibus, mutuò accipere, ad magnificentiam ornatúmque ludorum, quæ posteà dominis referenda curarent. Quidam tamen, ut fit, per simulationem Ædilitatis accepta, domum deinde atque in hortos suos avertentes, restituere negligebant. Huic quasi latrocinio, Censores providere volentes, suis restitui jusserunt. Itaque Cicero, num referantur, quærit. MALASPINA.

11. *Legiones*] Adducturus erat. CORRAD.

EPISTO-

EPISTOLARUM AD ATTICUM

LIBER VII.

CICERO ATTICO SAL.

DEDERAM equidem L. Saufeio literas, & dederam ad te unum, quòd, cùm non eſſet temporis mihi ad ſcribendum ſatis, tamen hominem tibi tam familiarem ſine meis literis ad te venire nolebam. Sed, ut [1] philoſophi ambulant, has tibi redditum iri putabam priùs. Sin jam illas accepiſti, ſcis me Athenas veniſſe prid. Idus Octobres; è navi egreſſum in Piræeum, tuas ab Acaſto noſtro literas accepiſſe conturbatum, quòd cum febre Romam veniſſes; bono tamen animo eſſe cœpiſſe, quòd Acaſtus ea, quæ vellem, de allevato corpore tuo nuntiaret; cohorruiſſe autem me, quòd tuæ literæ de legionibus Cæſaris afferrent; & egiſſe tecum, ut videres, ne quid [2] φιλοτιμία ejus, quem noſti, nobis noceret; de quo jam pridem ad te ſcripſeram. [3] Turannius autem ſecus tibi Brunduſii dixerat; quod ex iis literis cognovi,

1. *Philoſophi*] Philoſophus enim Saufeius ex hæreſi Epicureâ: & omnes philoſophi, quia præter ſapientiam nihil curent, tardè ſolent ambulare; tardiſſimè autem Epicurei, quia molles. MANUT.

2. Φιλοτιμία] Vulgò *ambitio*, ſed hoc loco *Philotimi actio*.

3. *Turannius autem*] Hæc particula cauſa fuit olim, ut ego putarim hunc locum totum ita legendum eſſe. *Cur fratrem provinciæ non præfeciſſem, breviter expoſui: Turannius autem ſecus tibi Brunduſii dixerat, quod ex his literis cognovi, quas . . . accepi. Hæc &c.* CORRAD.

vi, quas à Xenone optimo viro accepi. Cur fratrem provinciæ non præfeciſſem expoſui breviter. Hæc ferè ſunt in illa epiſtola. Nunc audi reliqua. Per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnémque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere judico ſingularem, confer te ad eam curam, ut de omni ſtatu meo cogites. Videre enim mihi videor tantam dimicationem (niſi idem Deus, qui nos meliùs, quàm optare auderemus, Parthico bello liberavit, reſpexerit Rempublicam) quanta nunquam fuit. Age, hoc malum mihi commune eſt cum omnibus. Nihil tibi mando, ut de eo cogites. Illud meum proprium [4] πρόβλημα, quæſo, ſuſcipe. Vidéſne, ut te auctore ſim utrumque complexus? Ac vellem à principio te audiſſe amiciſſimè monentem,

[5] Ἀλλ' ἐμὸν ὄφρα θυμὸν ἐνὶ ϕρήσσιν ἔπειθες
Πατρείδος.

Sed aliquando tamen perſuaſiſti, ut alterum complecterer, quia de me erat optimè meritus; alterum, quia tantum valebat. Feci igitur; itáque feci omni obſequio, ut neutri illorum quiſquam eſſet me carior. Hæc enim cogitabamus; nec mihi, conjuncto cum Pompeio, fore neceſſe peccare in Republica aliquando; nec cum Cæſare ſentienti pugnandum eſſe cum Pompeio: tanta erat illorum conjunctio. Nunc impendet, ut & tu oſtendis, & ego video, ſumma inter eos contentio. Me autem uterque numerat ſuum, niſi fortè ſimulat alter: nam Pompeius non dubitat (verè enim judicat) ea, quæ de Republica nunc ſentiat, mihi valde probari. Utriuſque autem accepi ejuſmodi literas eodem tempore, quo tuas; ut neuter quenquam omnium pluris facere, quàm me, videretur. Verùm quid agam? non

4. Πρόβλημα] *Quæſtionem* ad me unum pertinentem, utram partem eligam, Cæſaris, an Pompeii. MANUT.

5. Ἀλλ' ἐμὸν] *Sed mihi nunquam perſuaſiſti patriâ quidquam ulli ſuâ dulcius eſſe.* Odyſſ. Γ. 34.

6. *Cum altero vincere*] Cæſare, qui patriam velit oppugnare. CORRAD.

7. *Dic*] Senſus eſt: Cùm rogabor ſententiam, dicámne ut me expectent, dum te conſulam? Nugæ. Non enim erit locus ad tergiverſandum. Statim enim cogar dicere, quid ſentiam. Dicam igitur contra Cæſarem, ne abſentis ratio habeatur, cui dexteram dederim, fidémque meam obſtrinxerim? Non poſſum. Nam ut ei liceret, adjuvi rogatus ab ipſo Ravennæ: ab ipſo autem? etiam à Cneo noſtro in illo divino Conſulatu. Aliter ſenſero; & cùm non poſſim tacitus præterire, nec dicere contra Cæſarem, pro Cæſare locutus fuero: διδύσομαι non ſolùm Pompeium, ſed reliquos etiam cives, téque ipſum in primis laudatorem factorum & ſcriptorum meorum

non quæro *illa* ultima, (si enim castris res geretur, video cum altero vinci satius esse, quàm [6] cum altero vincere) sed illa quæ tum agentur, cùm venero; ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimittat. [7] Dic, Marce Tulli. Quid dicam? Expecta, amabo te, dum Atticum conveniam? Non est locus ad tergiversandum. Contra Cæsarem? *ubi illæ sunt* [8] densæ dexteræ? nam, ut illi hoc liceret, adjuvi, rogatus ab ipso Ravennæ [9] de Cælio *Tribuno plebis*. Ab ipso autem? etiam à Cnæo nostro, *in illo divino tertio* Consulatu. Aliter sensero? [10] αἰδέομαι *non* Pompeium modò, sed Τρῶας, καὶ Τρῳάδας. Πολυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείη καταθήσει, quis? tu ipse scilicet, laudator & factorum & scriptorum meorum. Hanc ergo plagam effugi per duos superiores [11] Marcellorum Consulatus, cùm est actum de provincia Cæsaris: nunc incido in discrimen ipsum. Itaque ut stultus primus suam sententiam dicat, mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid: [12] extra urbem esse cum justissima causa. Tamen dabunt operam, ut eliciant sententiam meam. *Ridebis* hoc loco fortasse. Quàm vellem etiam nunc in provincia morari! planè opus fuit, si hoc impendebat. Etsi nil miserius: nam [13] ὁδὸν παρερχόμενον volo te hoc scire: omnia illa prima, quæ etiam tuis literis in cælum ferebas, [14] ἐπίκηρα fuerunt. Quàm non est facilis virtus! quàm verò difficilis ejus diuturna simulatio! Cùm enim hoc rectum & glorioſum putarem ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Cælio Quæstori relinquere annuum, referre in ærarium ad H-S clɔ; ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere; ut ego amicior invenirer Phrygum & Cilicum ærariis, quàm nostro. Sed me non moverunt: nam & mea laus apud me

meorum. Malasp. *Dic, M. Tulli* est solemnis formula quâ consules utebantur in rogandis sententiis. Vide Brisson. de Form. *lib.* II.

8. *Densæ*] Junctæ & implexæ. Popma.

9. *De Cælio*] Ut M. Cælium, amicissimum meum, tribunum plebis inducerem ad legem ferendam de habendâ Cæsaris absentis ratione. Manut.

10. Αἰδέομαι] *Vereor Trojanos & Trojanas. Polydamas mihi primus probrum inferet.* Iliad. Z'. 442.

11. *Marcellorum*] Quia profectus est ante in provinciam, quàm M. Marcellus referret de successione Galliarum. Et anno proximo, consule C. Marcello, de provinciâ decedens, tamen ad urbem non pervenit, tribus mensibus in itinere consumptis. Manutius.

12. *Extra*] Nam triumphare volenti urbem ingredi non licebat. Corrad.

13. Ὁδὸν παρερχόμενον] Obiter.

14. Ἐπίκηρα] *Caduca*, quæ citò fluxerint, & evanuerint.

plurimum valuit: nec tamen quicquam honorificè in quenquam fieri potuit, quod prætermiserim. Sed hæc fuerit, ut ait Thucydides, [15] ἐκβολὴ λόγε non inutilis. Tu autem de noſtro ſtatu cogitabis: primùm, quo artificio tueamur benevolentiam Cæſaris: deinde, de ipſo triumpho, quem video, niſi Reipublicæ tempora impedient, [16] εὐπόεισον. Judico autem cùm ex literis amicorum, tum ex ſupplicatione; quam qui non decrevit, [17] plus decrevit, quàm ſi omnes decreſſet triumphos. Ei porrò aſſenſus eſt unus, familiaris meus, *Favonius: alter, iratur* Hirrus. Cato autem & ſcribendo affuit: & ad me de ſententia ſua jucundiſſimas literas miſit. Sed tamen gratulans mihi Cæſar de ſupplicatione, triumphat de ſententia Catonis; nec ſcribit, [18] quid ille ſententiæ dixerit, ſed tantùm, ſupplicationem eum mihi non decreviſſe. Redeo ad Hirrum. Cœperas eum mihi placare: perfice. Habes Scrofam, habes Silium. Ad eos ego etiam antea ſcripſi, & ad ipſum Hirrum. Locutus enim erat cum iis commodè, ſe potuiſſe impedire, ſed noluiſſe: aſſenſum tamen eſſe Catoni, amiciſſimo meo; cùm is honorificentiſſimam in me ſententiam dixiſſet; nec me ad ſe ullas literas miſiſſe, cùm ad omnes mitterem. Verum dicebat. Ad eum enim ſolum, & ad Craſſipedem non ſcripſeram. Atque hæc de rebus forenſibus: redeamus domum. Dijungere me ab illo volo. Mirus eſt [19] φυσάτης, germanus [20] Lartidius,

[21] Ἀλλὰ τὰ μὲν πεφατεύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.

Reliqua expediamus. Hoc primùm, quo acceſſit cura dolori meo, ſed hoc tamen, quidquid eſt, Præcianum cum iis rationibus,

15. Ἐκβολὴ λόγε] Orationis egreſſio.

16. Εὐπόεισον] Parabilem.

17. *Plus decrevit*] Quia, cùm mihi ſupplicationem non decerneret, tamen in ſententiâ ſuâ ſummis me laudibus ornavit; cùm diceret, innocentiâ potiùs, & manſuetudine meâ, quàm vi militum, aut benignitate deorum, provinciam eſſe ſervatam. Is autem fuit M. Cato. ut Fam. ep. 5. lib. XV. MANUTIUS.

18. *Quid*] Injuriam Catonis in ſupplicatione non decernenda Cæſar commemorat; laudes, quas mihi idem Cato ſuâ ſententiâ tribuit, diſſimulat. IDEM.

19. Φυσάτης.] *Conturbator*, Philotimus.

20. *Lartidius*] Id hoc ſenſu accipio, Ulyſſes, qui *Lartides* vel *Laertides* erat, aſtutiſſimus & callidiſſimus veterator eſt habitus: talem Philotimum dicere poſſum, & Lartidium, hoc eſt, Ulyſſeum vocare. TURNEB. *Adverſ.* XX. 16. Mongalto *non* placet hæc interpretatio: qui *Lartidium* putat famoſum olim fuiſſe, nobiſque incognitum furem. Nec verò Manutius aliter.

21. Ἀλλὰ] *Sed hæc quidem, quæ antè acta ſunt, omittemus, licèt cum mœrore.* Iliad. T. 65.

nibus, quas ille meas tractat, admiſceri nolo. Scripſi ad Terentiam, ſcripſi etiam ad ipſum, me, quidquid poſſem nummorum, ad apparatum ſperati triumphi ad te redacturum. Iſta puto [22] ἄμεμπτα fore. Verùm ut lubebit. Hanc quoque ſuſcipe curam, quemadmodum [23] experiamur. Id & oſtendiſti quibuſdam literis, ex Epiro, an Athenis datis? & in eo ego te adjuvabo.

22. Ἄμεμπτα] *Si ad te pecunia in triumphi apparatum redigetur, non erit quòd factum meum Philotimus accuſet, tanquam ei non confidentis, cùm te, non quemvis, illi prferam, in pæcuniâ triumphali, non domeſticâ:* ἄμεμπτα *: cauſam accuſandi nullam.* Manutius.

23. *Quemadmodum experiamur*] Jus noſtrum perſequamur, & quaſi in jus Philotimum vocemus. Corradus.

Cicero Attico Sal.

Brundusium venimus VII Kalend. Decemb. uſi tuâ felicitate navigandi: ita bellè nobis flavit ab Epiro leniſſimus [1] Oncheſmites. Hunc [2] σπονδειάζοντα, ſi cui voles [3] τῶν νεωτέρων, pro tuo vendito. Invaletudo tua me valde conturbat: ſignificant enim tuæ literæ te prorſus laborare. Ego autem, cùm ſciam quàm ſis fortis, vehementius eſſe quiddam ſuſpicor, quod te cogat cedere, & propemodum infringat: etſi alteram quartanam [4] Pamphilus tuus mihi dixit deceſſiſſe, & alteram leviorem accedere. Terentia verò, quæ quidem eodem tempore ad portam Brunduſinam venit, quo ego in portum, mihique obvia in foro fuit, L. Pontium ſibi in Trebulano dixiſſe narrabat, etiam eam deceſſiſſe. Quod ſi ita eſt, eſt quod maximè mehercule opto; idque ſpero tuâ prudentiâ & temperantiâ te conſecutum. Venio ad epiſtolas tuas, quas ego ſexcentas uno tempore accepi, aliam aliâ jucundiorem, quæ quidem erant tuâ manu. 2

1. *Oncheſmites*] Nomen venti, ab Oncheſmo, Epiri portu, quem nominat Ptolemæus. Manut.

2. Σπονδειάζοντα] Genus carminis ſic vocatum, quòd in quintâ regione ſpondeum haberet pro Dactylo. Hunc igitur imprudens, ut fit, cùm edidiſſet Cicero, idque poſteà animadvertiſſet, joci occaſionem arripiens, Tuum, inquit, eſſe dicito, &c. Malaspina. Lege *vendita*. Eversum ſpondaicum rotundiſſimum, qui mihi dum ſcribo nec opinanti naſcitur. Eum tu, ſi voles, cui lubebit adoleſcentium ſtudioſorum, qui eruditionis causâ te aſſectantur & colunt, jacta te feciſſe. Gronovius.

3. Τῶν νεωτέρων] Juniorum.

4. *Pamphilus*] Attici ſervus.

manu. Nam Alexidis manum amabam, quòd tam propè accedebat ad similitudinem tuæ literæ: non amabam, quòd indicabat te non valere. Cujus quoniam mentio facta est; Tironem Patris ægrum reliqui, adolescentem, ut nosti, (& adde si quid vis) probum: nihil vidi melius: itaque careo ægrè. Quanquam videbatur se non graviter habere; tamen sum sollicitus, maximámque spem habeo in M' Curii diligentia, de qua ad me scripsit Tiro, & multi nuntiarunt. Curius autem ipse sensit, quàm tu velles se à me diligi; & eo sum admodum delectatus; & mehercule est, quam facilè diligas, [5] αὐτόχθων in homine urbanitas. Ejus testamentum [6] deporto Romam, Ciceronum signis obsignatum, cohortisque Prætoriæ; [7] fecit palàm te ex libella, me ex teruntio. In Actio [8] Corcyræ Alexion me opiparè muneratus est. Q. Ciceroni obsisti non potuit, quo minùs [9] Thyamim videret. Filiolâ tuâ te delectari lætor, & probari tibi [10] φυσικὴν esse, τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim [11] si hæc non est, nulla potest homini esse ad hominem naturæ adjunctio; quâ sublatâ, vitæ societas tollitur. [12] Bene veniat, inquit Carneades, spurcè: sed tamen pudentiùs, quàm [13] Lucius noster, & Patron: qui cùm omnia ad se referant, quidquam alterius causâ fieri putent; & cùm ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quò id naturâ rectum sit; non intelligant se de callido homine loqui, non de bono viro? Sed hæc, opinor, sunt in iis [14] libris, quos tu laudando animos mihi addidisti. Redeo ad rem. Commodò expectabam epistolam, quam Philoxeno dedis-

5. Αὐτόχθων] Nativa, vernacula.

6. *Deporto Romam*] Hæc est Manutii conjectura, quam recepit Lambinus. Nam alii, *de Tortorio*: in quo explicando, & seipsos & lectores mirificè torquent. Agitur de Testamento, non sèrio illo quidem, sed festivo ac ludicro. Per cohortem prætoriam, Grævius intelligit comites & contubernales Ciceronis, qui eum in provinciam fuerant secuti. OLIV.

7. *Fecit palàm*] Heredem. MAN. Vide Turnebi Adverss. XX. 16. & maximè Gronov. de Pec. Vet. II. 1.

8. *Corcyræ*] Actium non hîc est promontorium Acarnaniæ, nec locus aut ager Corcyræ, ut docti viri existimant, sed portus Corcyræorum, ad differentiam alterius dictus *Actium Corcyræ*, ubi otiduum tempestatibus retentus ab Alexione medico suo cibariis lautè & abundanter muneratus est. De portu Corcyræ & in eo mora sua scribit ad Tironem ep. 9. De Alexione medico suo infrà lib. XV. ep. 1. & 2. POPMA.

9. *Thyamim*] Flumen Thesprotiæ ubi res tuas habes. Ep. 3. lib. VI. CORRAD.

10. Φυσικὴν] *Naturalem* amorem. Πρὸς τὰ τέκνα, *in filios*. Man. & Lamb. habent φορὰν φυσικὴν, &c.

11. *Si hæc non est*] Quæ huc faciant, legi possunt lib. I. *de Offic.* cap. 4.

12. *Bene veniat*] Finem hominis ultimum

dediſſes: ſcripſeras enim in ea eſſe de ſermone Pompeii Neapolitano: eam mihi Patron Brunduſii reddidit; Corcyræ, ut opinor, acceperat. Nihil potuit eſſe jucundius. Erat enim de Republica; de opinione, quam is vir haberet integritatis meæ; de benevolentia, quam oſtendit eo ſermone, quem habuit de triumpho. Sed tamen hoc jucundiſſimum, quòd intellexi te ad eum veniſſe, ut ejus animum erga me perſpiceres: hoc mihi, inquam, accidit jucundiſſimum. De triumpho autem, nulla me cupiditas unquam tenuit ante Bibuli impudentiſſimas literas, quas ampliſſimè ſupplicatio conſecuta eſt: à quo ſi ea geſta ſunt, quæ ſcripſit, gauderem, & honori faverem. Nunc illum, qui pedem portâ, quoad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri; me, in cujus exercitu ſpem illius exercitus habuit, idem non aſſequi, dedecus eſt noſtrum; noſtrum, inquam, te conjungens. Itaque omnia experiar; &, ut ſpero, aſſequar. Quòd ſi tu valeres, jam mihi quædam expiorata eſſent: ſed, ut ſpero, valebis. [15] De rauduſculo Numeriano multùm te amo. [16] Hortenſius quid egerit, aveo ſcire; Cato quid agat: qui quidem in me turpiter fuit malevolus. Dedit integritatis, juſtitiæ, clementiæ, fidei mihi teſtimonium, quod non quærebam; quod poſtulabam, negavit. Itaque [17] Cæſar iis literis, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exultat Catonis in me ingratiſſimi injuriâ? At hic idem Bibulo dierum xx. Ignoſce mihi, non poſſum hæc ferre, nec feram. Cupio ad omnes tuas epiſtolas; ſed nihil neceſſe eſt. Jam enim te videbo. Illud tamen de Chryſippo; nam [18] de altero illo mi-

mum Carneades (*Fin.* II. 11.) eſſe aiebat *frui principiis naturalibus*, neque alio affectu optabat naſci ſibi liberos, quàm quo cupiebat, benè ac feliciter venire plantas atque arbores, quas ſerebat. Id non immeritò videtur Ciceroni homine indignum, *expers honeſtatis*, pudendum: minùs tamen, quàm quod ſentiebant Lucius & Patron, ambo Epicurei: qui cùm *omnia ad ſe* referrent, atque unam ſpectarent voluptatem, *nullam prolis habere* rationem poterant, nihilque liberûm causâ agere. Jam quòd ait, *pudentiùs*, *quàm Lucius & Patron*, non autem, pudentiùs, quàm ii, qui Epicurum ſequuntur; cavit ne Atticum offenderet, ſi gentem infamaret univerſam. Olivetus.

13. *Lucius*] L. Torquatus, qui ſententiam Epicuri tuetur lib. I. de Fin. Man.

14. *Libris*] De Republicâ, ubi de rebus hiſce diſputabat Lælius. Corrad.

15. *De rauduſculo Numeriano*] Quòd parvam pecuniam, mihi à Numerio debitam, exegiſti. Sic locutus eſt ep. 8. lib. IV. & 8. lib. VI. Manut.

16. *Hortenſius*] Filius, quid egerit nimirum de auctione. Ep. ſequ. Corrad.

17. *Cæſar*] Vide ſuprà, ep. 1.

18. *De altero illo*] Fortaſſe Philargyro. Ep. 11. lib. IX. Corrad.

nùs ſum admiratus, operario homine: ſed tamen ne illo quidem quidquam improbius. Chryſippum verò, quem ego propter literularum neſcio quid libenter vidi, in honore habui, diſcedere à [19] puero, inſciente me? Mitto alia quæ audio multa: mitto furta: fugam non fero, quâ mihi nihil viſum eſt ſceleratius. Itaque uſurpavi vetus illud Druſi, ut ferunt, Prætoris in eo, qui eadem liber [20] non juraret; me iſtos [21] liberos non addixiſſe; præſertim cùm adeſſet nemo, à quo rectè [22] vindicarentur. Id tu, ut videbitur, ita accipies: ego tibi aſſentiar. Uni tuæ diſertiſſimæ epiſtolæ non reſcripſi, in qua eſt de periculis Reipublicæ. Quid reſcriberem? valde eram perturbatus. Sed, ut nihil magnopere metuam, [23] Parthi faciunt, qui repentè Bibulum [24] ſemivivum reliquerunt.

19. *Puero*] Cicerone filio.

20. *Non juraret*] Solebant domini, qui ſervos manumittebant, quaſdam eorum operas ſibi recipere, ad quas præſtandas eos jurejurando adigebant. Ulpianus libro 28. ad Sabinum, *ut jurisjurandi obligatio contrahatur, liberum eſſe oportet qui juret, & libertatis causâ jurare:* & paulo pòſt, *Jurare autem debet poſt manumiſſionem, ut obligetur; & ſive ſtatim, ſive poſt tempus juraverit, obligatur. Jurare autem debet operas, domum, munus ſe præſtaturum; operas qualeſcunque, quæ modò probè jure licito imponuntur.* Et Paulus libro 7. ad Plautium, *Servum teſtamento ita manumiſi; ſi juraverit ſe Cornelio filio meo decem operarum daturum, liber eſto: quæritur quid juris ſit, & ſciendum eſt jurando ſervum conditionem implere, ſed non teneri operarum nomine: quia, niſi poſt manumiſſionem juret, non obligatur.* Druſus ergo prætor dicebat ſe eos non manumiſiſſe, qui libertate donati non jurarent ſe eaſdem operas præſtituros patronis, quas iiſdem adhuc ſervi præſtare conſueviſſent. Bosius.

21. *Liberos non addixiſſe*] Liberos non pronunciaſſe. Et verbo prætoris eſt uſus, quia Prætor erat Druſus. Corrad.

22. *Vindicarentur*] In libertatem: quòd præter ipſum alios quoque adeſſe oporteret, qui vindicarent. Aderant enim coram prætore dominus, ſervus, vindex, teſtes, ſcriba: neque ſine his juſta erat addictio liberorum in hoc genere manumiſſionis. Manut.

23. *Parthi faciunt*] Sic explano. Parthi, à quibus maximè timebamus, cùm repentè diſceſſerint, faciunt, ut nihil mihi jam magnopere timendum putem: cùm videam ſolere ea, quæ magnopere timeantur, quandoque ad nihilum recidere. Idem.

24. *Semivivum*] Metu exanimatum. Idem.

Cicero Attico Sal.

3 Ante diem viii. Id. Decemb. Herculanum veni, & ibi tuas literas legi, quas Philotimus mihi reddidit: è quibus hanc primo aſpectu voluptatem cepi, quòd erant à te ipſo ſcriptæ: deinde earum accuratiſſimâ diligentiâ ſum mirum in modum

modum *delectatus*. Ac primum illud, in quo te [1] Dicæarcho assentiri negas, etsi cupidissimè expetitum à me sit, & approbante te, ne diutiùs anno in provincia essem, tamen non est nostrâ contentione perfectum. Sic enim scito, verbum in Senatu factum esse nunquam de *ullo nostrûm*, qui provincias obtinuimus, quo in *his diutiùs*, quàm ex senatus-consulto, maneremus: ut *jam ne istius quidem* rei culpam sustineam, quòd *minùs diù fuerim in provincia*, quàm fortasse fuerit utile. *Sed*, [2] *quid si* [3] *hoc melius?* sæpe opportunè dici videtur, ut *in hoc ipso*. Sive enim ad concordiam res adduci potest, sive ad bonorum victoriam; utriusvis rei me aut adjutorem velim esse, aut certè non expertem. Sin vincuntur boni; ubicunque essem, unà cum iis victus essem. Quare celeritas nostri reditûs [4] ἀμεταμέλητος debet esse. Quòd si ista nobis cogitatio de triumpho injecta non esset, quam tu quoque approbas, næ tu [5] haud multum requireres illum virum, qui in sexto libro informatus est. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? quin nunc ipsum non dubitabo rem tantam abjicere, si id erit rectius. Utrumque verò simul agi non potest, & de triumpho ambitiosè, & de Republica liberè. Sed ne dubitaris, quin, quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. Nam quòd putas utilius esse, vel mihi quòd tutius sit, vel etiam ut Reipublicæ prodesse possim, me esse cum imperio; id coràm considerabimus quale sit. Habet enim res deliberationem; etsi ex parte magna tibi assentio. De animo autem meo erga Rempublicam bene facis quòd non dubitas; & illud probè judicas, nequaquam satis pro meis officiis, pro ipsius in alios effusione [6] illum in me liberalem fuisse: ejúsque rei causam verè explicas; & eis, que de [7] Fabio, Caninióque acta scribis, valde consentiunt:

---

1. *Dicæarcho assentiri*] Non quòd Dicæarchus nominatim provinciarum administrationem, sed quòd ἡσυχαῖον πραχτικὸν βίον laudaret: ergo & provinciarum administrationem. Atticus contrà, ut qui Ciceroni auctor esset deceſſionis, cùm primùm ei per senatus-consultum liceret. Manut.

2. *Quid si*] Ordo est: Sæpe opportunè dici videtur, sive usurpatur hoc proverbium, *Quid si hoc melius?* & videtur in hoc meo negotio valere.

3. *Hoc melius?*] Quòd decesserim. Man.

4. Ἀμεταμέλητος] Non pœnitenda.

5. *Haud multùm requireres*] Diceres me illum ipsum, quem in VI. lib. de Republicâ informavi. Agerem enim, & liberè dicerem, quæ de Republicâ sentirem. Manutius.

6. *Illum*] Cæsarem. Idem.

tiunt: quæ si secùs essent, totúmque se ille in me profudisset; tamen illa, quam scribis, [8] custos urbis me præclaræ inscriptionis memorem esse cogeret; nec mihi concederet, ut imitarer Volcatium, aut Servium, [9] quibus tu es contentus; sed aliquid nos vellet nobis dignum & sentire, & defendere: quod quidem agerem, si liceret alio modo ac nunc agendum est. De sua potentia dimicant homines hoc tempore periculo civitatis. Nam si Respublica defenditur; cur ea Consule isto ipso defensa non est? cur ego, in cujus causa Reipublicæ salus consistebat, defensus postero anno non sum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, ut de ejus absentis ratione habenda decem Tribuni plebis ferrent? His ille rebus ita convaluit, ut nunc in uno civi [10] res ad resistendum sit: qui mallem tantas ei vires non dedisset, quàm nunc tam valenti resisteret. Sed quoniam res eò deducta est, non quæram, ut scribis, [11] ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν; mihi σκάφος unum erit, quod à Pompeio gubernabitur: illud ipsum. Quod ais, Quid fiet, cùm erit dictum, *Dic M. Tulli* [12] σύντομα: Cn. Pompeio assentior. Ipsum tamen Pompeium separatim ad concordiam hortabor. Sic enim sentio; maximo in periculo rem esse. Vos scilicet plura, qui in urbe estis. Veruntamen hoc video, cum homine audacissimo, paratissimóque negotium esse; omnes damnatos, omnes ignominiâ affectos, omnes damnatione, ignominiáque dignos illac facere, omnem ferè juventutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, Tribunos valentes, addito C. Cassio, omnes, qui ære alieno premantur; quos

7. *Fabio, Caninióque*] Fabio Gallo, Caninio Rebilo, utroque Cæsaris legato. Id.

8. *Custos urbis*] Minervæ statua, quam, in exilium proficiscens, in templo Jovis Capitolini posuit, cum hac inscriptione, *CUSTOS URBIS*. Ep. 33, Idem.

9. *Quibus*] Volcatius Tullus, & Ser. Sulpicius, homines consulares, qui se neutram in partem valde jactabunt. Idem.

10. *Res*] Res hîc significat facultatem, opes ad resistendum in uno cive Pompeio, qui solus resistere poterat Cæsari. Popma.

11. Πῦ σκάφος] *Ubi navigium Atridarum?* Hoc est, non quæram, ubi tutiùs esse possim, ut in Achivorum classe tutissima navis Agamemnonis & Menelai Atridarum.

12. Σύντομα] *Paucis verbis.* Respondebo consuli roganti, Assentior Pompeio.

13. *Omnes*] Supple, oportet, debent.

14. *Decessit . . . In decedendo*] Videtur loqui repugnantia, si, *Decedere*, utrobique idem significet. Quod secus est: valet enim modò, de provinciâ discedere, administrandi potestate terminatâ: modò ex provinciâ ad urbem proficisci. Prior significatio patet in iis verbis: *Bibulus de provinciâ decessit*: posterior in iis: *In decedendo erit tardior.* Manutius.

15. *Ornavit*] Supplicationes ei decernens,

quos plures esse intelligo, quàm putaram. Causam solùm illa causa non habet; cæteris rebus abundat. Hîc omnia facere [13] omnes, ne armis decernatur; quorum exitus semper incerti, nunc verò in alteram partem magis timendi. Bibulus de provincia [14] decessit, Veientonem præfecit. In decedendo erit, ut audio, tardior: quem cùm [15] ornavit Cato, declaravit iis se solis [16] non invidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem posset accedere. Nunc venio ad privata: ferè enim respondi tuis literis de Republica, & iis, quas in suburbano, & iis, quas postea scripsisti: ad privata venio. Unum etiam de Cælio. Tantum abest ut meam ille sententiam moveat, ut valde ego ipsi, quòd [17] de sua sententia decesserit, pœnitendum putem. Sed quid est, [18] quòd ei vici Lucceii sint addicti? hoc te prætermisisse miror. De Philotimo faciam equidem, ut mones. Sed ego mihi ab illo hoc tempore non rationes expectabam, quas tibi edidit; verùm id reliquum, quod ipse in Tusculano me referre in commentarium meâ manu voluit, quódque idem in Asia mihi suâ manu scriptum dedit. Id si præstaret, quantum mihi æris alieni esse ibi edidit, tantum, & plus etiam ipse mihi deberet. Sed in hoc genere, si modò per Rempublicam licebit, non accusabimus posthac: neque hercule antea negligentes fuimus, sed amicorum multitudine occupati. Ergo utemur, ut polliceris, & operâ & consilio tuo: nec tibi erimus, ut spero, in eo molesti. De [19] serperastris cohortis meæ, nihil est quod doleas: ipsi enim se collegerunt [20] admiratione integritatis meæ. Sed me moverat nemo magis, quàm

nens, quas idem mihi antè negaverat. Idem.

16. *Non invidere*] Negationem delent Malasp. Lamb. Bosius: retinent cæteri.

17. *De suâ sententiâ*] Quòd, ob amicitiam Curionis, & odium Appii, à rep. defecerit. Fam. ep. 17. lib. VIII. Man.

18. *Quòd ei vici*] Veteres libri, partim *Eruci Lucceis*, partim, *Ei vici Lucceii*: quæ vereor, ne certior sit scriptura, ut *Ei*, Cælio intelligendum sit, cui vici Lucceii, Prætoris imperio addicti, æris alieni, aut alterius rei causâ, hoc est, adjudicati fuerint. Tam privatæ rei historiam quærere, stultum est. Malaspina. Nisi magis placeat legere, *ejus vici Luceiis sint addicti*. Certè hoc illud est, unde expeditum Cælium cupiebat videre, lib. VI. ep. 1. Corradus.

19. *Serperastris*] Serperastra propriè sunt adminicula, quæ cruribus puerorum primùm ambulantium alligantur, ne ii vari, aut compernes fiant. Hoc autem nomine Cicero hîc notat præfectos cohortis suæ, hoc est, Legatos, Quæstores, Tribunos, & alios quos secum duxerat, quorúmque operâ in coercendo exercitu, & regendâ provinciâ utebatur. Bosius.

20. *Admiratione*] Quia velim, quod ad viaticum mihi ex ærario datum est, id ærario restituere magnâ ex parte. Ep. 1.

is, quem tu [21] neminem putas. Idem & initio fuerat, & nunc est egregius. Sed in ipsa decessione significavit, sperasse se aliquid; & id, quod [22] animum induxerat paulisper, non tenuit: sed citò ad se rediit; meisque honorificentissimis erga se officiis victus, pluris ea duxit, quàm omnem pecuniam. Ego à Curio tabulas accepi, quas mecum porto. Hortensii [23] legata cognovi. Nunc aveo scire quid *hominis* sit, & quarum rerum auctionem instituat. Nescio enim cur, cùm portam Flumentanam Cælius occuparit, ego Puteolos non [24] *meos faciam*. Venio ad Piræea, in quo magis reprehendendus sum, quòd homo Romanus [25] Piræea scripserim, non Piræeum, (sic enim omnes nostri locuti sunt) quàm quòd *in* addiderim. Non enim hoc ut oppido præposui, sed ut loco: & tamen Dionysius noster, &, qui est nobiscum, Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piræea. Sed de re videro. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quòd, non ut de oppido, locutus sum, sed ut de loco; secutúsque sum, non dico Cæcilium, *Manè ut ex portu in Piræeum*; (malus enim auctor latinitatis est) sed Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur à C. Lælio scribi, *Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum*; & idem, *Mercator hoc addebat, captam è Sunio.* Quòd si δήμους oppida volumus esse; tam est oppidum Sunium, quàm Piræeus. Sed, quoniam grammaticus es, si hoc mihi [26] ζήτημα persolveris, magnâ me molestiâ liberaris. [27] Ille mihi literas blandas mittit: facit idem pro eo Balbus: mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam: sed scis illi reliquum quantum sit. Putásne igitur verendum esse, ne aut objiciat id nobis aliquis, si [28] languidiùs; aut repetat, si fortiùs? Quid ad hæc

21. *Neminem*] Minimè omnium. MAN.

22. *Animum*] Fortasse, *in animum*.

23. *Legata*] Quæ hæres debebat testamento patris. IDEM.

24. *Meos faciam*] Ego quasi Romanus. Cùm M. Cælius Puteolanus portam Flumentanam Romæ suam fecerit. De hac re nescio quid negotii posteà cum Hortensio habuit. ep. 5. lib. XII. CORRAD.

25. *Piræea*] Scribens ita: *In piræea cùm exissem*. Ep. 9. lib. VI. ut Plato in principio lib. I. de Republicâ: Κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ. CORRADUS. Vide Sanctii Minervam lib. IV. de Ellipsi.

26. Ζήτημα] *Quæstionem*, quæ sequitur.

27. *Ille*] Cæsar, cui scis quantum adhuc pecuniæ debeam.

28. *Languidius*] Si languidiùs de Republicâ sensero, Facis hoc, dicet aliquis, quia nummos Cæsari debes: sin fortiter, statim solvendum erit. MANUTIUS.

hæc reperis? Solvamus, inquis. Age, à [29] Cælio mutuabimur. Hoc tu tamen consideres velim. Puto enim, in Senatu si quando præclarè pro Republicâ dixero, [30] Tarteſſium iſtum tuum mihi exeunti, Jube ſodes nummos [31] curare. Quid ſupereſt? etiam. Gener eſt ſuavis mihi, Tulliæ, Terentiæ: quantumvis vel ingenii, vel humanitatis; [32] *ſatis*. Reliqua, quæ noſti, ferenda. Scis enim, quos *aperuerimus*: qui omnes, præter eum, de quo per te *egimus*, [33] rem me facere rerentur. Ipſis enim expenſum *nemo ferret*. Sed hæc coràm: nam multi ſermonis ſunt. *Tironis* reficiendi ſpes eſt in M. Curio: cui ego ſcripſi, *tibi eum* gratiſſimum facturum. Dat. v. Id. Decemb. [34] à Pontio ex Trebulano.

29. *Cælio*] Trapezita, de quo l. XII. Id.

30. *Tarteſſium*] Balbum, cui patria Tarteſſus in conventu Gaditano. *Plin.* V. 22.

31. *Curare*] *Curari*. Muretus.

32. *Satis*] In eo eſt quantumvis vel ingenii, vel humanitatis: nam vox, *ſatis*, ſeparatim ſumenda eſt: ſignificat enim, abundè eſt. Bosius.

33. *Rem me facere rerentur*] Senſus eſt: Tu ſcis quos aperuerimus, id eſt, quales eſſe quoſdam deprehenderimus, detectâ eorum inopiâ; qui omnes tamen, uno tantùm excepto, exiſtimarent me rei meæ optimè tunc conſultum voluiſſe, quòd cogitarem de Tulliâ ipſis nuptui dandâ. Ita enim ſe divites eſſe prædicabant, ut nemo ſibi expenſum ferret, id eſt, tabulas proferre poſſet expenſæ, & creditæ ſibi pecuniæ. Negabant enim ſe ulli quicquam debere. Verùm hæc verba, *ipſis enim nemo expenſum ferret*, in contrarium ſenſum Cicero jocularitèr detorſit, cùm indicare vellet omnes ita de iis malè exiſtimaſſe, ut nemo eis quicquam credere, & expenſum ferre voluerit. Quivis enim norat eos non eſſe ſolvendo. Bosius. Malebat Grævius, *reum me facere rentur*. Hoc ſenſu: Irati, quòd eos à Tulliæ conjugio rejecerim, diem mihi dicere cogitant: ſcilicet ut multis dicebatur revertentibus è provinciâ. Stare ea ſententia non poteſt, quoniam, ut monuit jam pridem Manutius, *reri* cogitare non eſt, ſed opinari. Boſium ſequitur Mongaltus noſter. Olivetus.

34. *A Pontio*] Apud Pontium ſcripta, in Trebulano. ep. 3. lib. V. Manut.

Cicero Attico Sal.

Dionysium, flagrantem deſiderio tui, miſi ad te, nec mehercule æquo animo; ſed fuit concedendum: quem quidem cognovi cùm doctum, quod mihi jam antè erat notum, tum ſanctum, plenum officii, ſtudioſum etiam meæ laudis, frugi hominem, ac, ne libertinum laudare videar, planè virum bonum. Pompeium vidi IV Id. Decembres: fuimus unà horas duas fortaſſe. Magnâ lætitiâ mihi viſus eſt affici meo adventu: 4

de triumpho hortari, [1] ſuſcipere partes ſuas; monere, ne antè in Senatum accederem, quàm rem confeciſſem; ne dicendis ſententiis aliquem Tribunum alienarem. Quid quæris? in hoc officio ſermonis nihil potuit eſſe prolixius. De Republica autem ita mecum locutus eſt, quaſi non dubium bellum haberemus. Nihil ad ſpem concordiæ: planè [2] illum ab ſe alienatum, cùm antè intelligeret, tum verò proximè judicaſſe: [3] veniſſe Hirtium à Cæſare, qui eſſet illi familiariſſimus; ad ſe non acceſſiſſe: &, cùm ille a. d. VIII Idus Decemb. veſperi veniſſet, Balbus de tota re conſtituiſſet a. d. VII. ad Scipionem ante lucem venire; multâ de nocte eum profectum eſſe ad Cæſarem. Hoc illi [4] τεκμηριώδες videbatur eſſe alienationis. Quid multa? nihil me aliud conſolatur, niſi quòd illum, cui etiam inimici [5] alterum Conſulatum, fortuna ſummam potentiam dederit, non arbitror fore tam amentem, ut hæc in diſcrimen adducat. Quòd ſi ruere cœperit, næ ego multa timeo, quæ non audeo ſcribere. Sed, ut nunc eſt, a. d. III. Nonas Jan. ad urbem cogito.

1. *Suſcipere partes ſuas*] Polliceri ſe pro ſuâ parte adjuturum. MANUTIUS.
2. *Illum*] Cæſarem. IDEM.
3. *Veniſſe*] Romam.
4. Τεκμηριώδες] Signum ejuſmodi, ut dubitari non poſſet. MANUTIUS.
5. *Alterum*] Ut alterum conſulatum abſens petere poſſet. Ep. 3. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

5 MULTAS uno tempore accepi epiſtolas tuas, quæ mihi, quanquam recentiora audiebam ex iis, qui ad me veniebant, tamen erant jucundæ. Studium enim & benevolentiam declarabant. Invaletudine tuâ moveor: & Piliam in idem genus morbi delapſam, curam tibi afferre majorem ſentio. Date igitur operam ut valeatis. De Tirone video tibi curæ eſſe: quem quidem ego, etſi mirabiles utilitates mihi præbet, cùm valet, in omni genere vel negotiorum, vel ſtudiorum meorum, tamen propter humanitatem, & modeſtiam malo ſalvum, quàm propter uſum meum. Philogenes mecum nihil unquam de Luſcieno locutus eſt: de cæteris rebus habes Dionyſium. Sororem tuam non veniſſe in Arcanum miror. De Chryſippo meum

meum consilium probari tibi non molestè fero. Ego in Tusculanum *nihil* sanè hoc tempore: devium est [1] τοῖς ἀπαντῶσιν, & habet alia δύσχρησα. Sed de Formiano Tarracinam pridie Kal. Jan. inde [2] Pontinum sumam: inde Albanum Pompeii: ita ad urbem III Nonas natali meo. De Republica quotidie magis timeo: non enim boni, ut putant, consentiunt. Quos ego Equites Romanos, quos *Senatores vidi*, qui acerrimè cùm cætera, tum hoc *iter Pompeii vituperarent*? Pace opus est. Ex victoria *cùm multa mala*, tum certè tyrannus existet. Sed hæc *propediem* coràm. Jam planè mihi deest, quod ad te scribam: *nec enim* de Republica, quòd uterque nostrûm scit eadem: & domestica nota sunt ambobus. Reliquum est jocari, si hic sinat: nam ego is sum, qui illi concedi putem utilius esse quod postulat, quàm signa conferri. Serò enim resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. Quid sentis igitur? inquis. Nihil scilicet, nisi de sententia tua; nec priùs quidem, quàm [3] nostrum negotium aut confecerimus, aut deposuerimus. Cura igitur, ut valeas. Aliquando [4] ἀπότεινα quartanam istam *diligentiâ*, quæ in te summa est.

1. τοῖς ἀπαντῶσιν] Obviam prodeuntibus. Δύσχρηστα, incommoda.

2. *Pontinum*] Prædium ad Pontinas paludes. Verbum, *Sumam*, crediderim abundare, & additum ab aliquo, qui de Pontinio Ciceronis legato acceperit. Manutius. Alii cum Bosio, *Pontinam summam*, hoc est, summam Pontinæ paludis partem.

3. *Nostrum negotium*] Triumphum.

4. Ἀπότεινα] Abstergito.

Cicero Attico Sal.

Planè deest, quod ad te scribam: nota omnia tibi sunt: nec ipse habeo à te quid expectem. Tantùm igitur nostrum illud solemne servemus, ut ne quem istuc euntem sine literis dimittamus. De Republica valde timeo: nec adhuc ferè inveni, qui non concedendum putaret Cæsari quod postularet, potiùs, quàm depugnandum. [1] Est illa quidem postulatio opinione valentior: cur autem nunc primum ei resistamus? [2] ὃ γὰρ ἂν

6

1. *Est illa*] Man. Lamb. *Est illa quidem impudens postulatio opinione valentior*. Mureus voces duas postremas delet.

2. Οὐ γὰρ] *Neque enim hoc majus est malum.* Odyss. XII. 209.

ἂν τόδε μεῖζον ἐπὶ κακὸν, quàm cùm quinquennium prorogabamus; aut cùm, ut abſentis ratio haberetur, ferebamus. Niſi fortè hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Dices, quid tu igitur ſenſurus es? Non idem, quod dicturus. Sentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur: dicam idem, quod Pompeius; neque id faciam humili animo. [3] Sed rurſus hoc permagnum Reipublicæ malum eſt, at quodam modo mihi præter cæteros non rectum, me in tantis rebus à Pompeio diſſidere.

3. *Sed rurſus*] Quia dixerat ſe dicturum quæ non ſentiat; in quo non videtur officio fungi boni civis: quaſi peccatum ſuum excuſavit. Dicere quæ non ſentias, malum eſt: ſed rurſus & hoc malum, me in tantis rebus à Pompeio diſſidere. MAN.

CICERO ATTICO SAL.

7 DIONYSIUS, *vir optimus, ut mihi quoque eſt perſpectus, & doctiſſimus, tuique amantiſſimus, Romam venit* XV *Kal. Januar. & literas à te mihi reddidit:* tot enim verba ſunt de Dionyſio in epiſtola tua. Illud, puto, tu non adſcribis, *& tibi gratias egit:* atqui certè ille agere debuit: &, ſi eſſet factum, quæ tua eſt humanitas, adſcripſiſſes. Mihi autem nulla de eo παλινῳδία datur propter ſuperioris epiſtolæ teſtimonium. Sit igitur ſanè bonus vir. Hoc enim ipſum bene fecit, quòd mihi [1] ſui cognoſcendi penitus etiam iſtam facultatem dedit. [2] Philogenes rectè ad te ſcripſit: curavit enim, quod debuit. Eum ego uti eâ pecuniâ volui, quoad liceret: itaque uſus eſt menſes XIII. Pontinium cupio valere: &, quòd ſcribis in urbem introiſſe, vereor quid ſit: nam id niſi gravi de cauſa [3] non feciſſet. Ego, quoniam IV Nonas Januar. Compitalitius dies eſt, nolo eo die in Albanum venire, ne moleſtus ſim [4] familiæ. Veniam

1. *Sui cognoſcendi*] Cùm gratias mihi non egit, ut debuit, & malè etiam locutus eſt. Ep. ſeq. CORRAD.

2. *Philogenes*] Vide V. 13. & 15.

3. *Non feciſſet*] Voluiſſet enim meum triumphum expectare extra urbem. CORR.

4. *Familiæ*] Familiæ Pompeii compitalia celebranti. IDEM.

5. Ἀτιμίας] Quartanæ correptio. MANUT.

6. Ἀβδηριτικὸν] Stultum.

7. *Eâ portâ*] Ego, ne mittar, ſtatim, quæ prima porta erit, eâ in urbem ingrediar, abjecto imperio ſimul, & triumphandi conſilio. MANUTIUS.

8. *Per quem ſine imperio*] Cùm enim factum eſſet ſenatus-conſultum ut ſucceſſo-

res

niam III Nonas igitur: inde ad urbem pridie Nonas. Tua [5] λῆψις quem in diem incurrat, neſcio: ſed prorſus te commoveri incommodo valetudinis tuæ nolo. De honore noſtro, niſi quid occultè Cæſar per ſuos Tribunos molitus erit, cætera videntur eſſe tranquilla. Tranquilliſſimus autem animus meus, qui totum iſtuc æqui boni facit; & eò magis, quòd jam à multis audio conſtitutum eſſe Pompeio & ejus conſilio, in Siciliam me mittere, quòd imperium habeam. Id eſt [6] Ἀβδηριτικόν: nec enim Senatus decrevit, nec populus juſſit, me imperium in Sicilia habere. Sin hoc Reſpublica ad Pompeium defert; quî me magis, quàm privatum aliquem mittat? Itaque, ſi hoc imperium mihi moleſtum erit; utar [7] eâ portâ, quam primùm videro. Nam quòd ſcribis, mirificam expectationem eſſe mei, neque tamen quemquam bonorum, aut ſatis bonorum dubitare, quid ſenſurus ſim: ego, quos tu bonos eſſe dicas, non intelligo: ipſe nullos novi: ſed ita, ſi ordines bonorum quærimus. Nam ſingulares ſunt boni viri. Verùm in diſſenſionibus ordines bonorum & genera quærenda ſunt. Senatum bonum putas, [8] per quem ſine imperio provinciæ ſunt? nunquam enim Curio ſuſtinuiſſet, ſi cum eo [9] agi cœptum eſſet: quam ſententiam Senatus ſequi noluit: ex quo factum eſt, ut Cæſari non ſuccederetur. An Publicanos? qui nunquam firmi, ſed nunc Cæſari ſunt amiciſſimi. An fœneratores? an agricolas? quibus optatiſſimum eſt otium; niſi eos timere putas, ne ſub regno ſint, qui id nunquam, dum modò otioſi eſſent, recuſarunt. Quid ergo? exercitum retinentis, cùm legis dies tranſierit, rationem haberi placet? mihi verò ne abſentis quidem. Sed, cùm id datum eſt, [10] illud unà datum eſt. Annorum enim decem imperium: & ita [11] latum placet? placet igitur etiam me expulſum, & agrum Campanum periiſſe, & adoptatum patricium à plebeio,

---

res in provincias mitterentur; C. Curio tribunus plebis Cæſaris cauſam defendens interceſſit: & cùm de interceſſione referretur, primáque M. Marcelli ſententia pronunciata eſſet, qui agendum cum tribunis plebis cenſebat: frequens ſenatus diſſenſit. Ergo ſenatûs culpâ ſucceſſores non miſſi: itaque ſine imperio provincia, id eſt, ſine magiſtratibus. Ep. 5. & 13. lib. VIII. Fam. Idem.

9. *Agi*] Quo modo agebatur cum tribunis plebis? fiebant in eos ſenatus-conſulta acerrima, niſi interceſſionem remitterent. Idem.

10. *Illud*] Ut etiam retinentis exercitum ratio haberetur. Corrad.

11. *Latum*] Lege Vatiniâ primùm, deinde Pompeii, & Craſſi iterum Coss. Id.

beio, [12] Gaditanum à Mitylenæo: & Labieni divitiæ, & Mamurræ placent, & Balbi horti, & Tuſculanum. Sed horum omnium fons unus eſt: imbecillo reſiſtendum fuit, & id erat facile. Nunc legiones XI, equitatus tantus, quantum volet; Tranſpadani, plebes urbana, tot Tribuni plebis, tam perdita juventus, tantâ auctoritate dux, tantâ audaciâ. Cum hoc aut depugnandum eſt, aut habenda [13] è lege ratio. Depugna, inquis, potiùs, quàm ſervias: ut quid? ſi victus eris, proſcribare? ſi viceris, tamen ſervias? Quid ergo, inquis, acturus es? idem quod pecudes, quæ diſpulſæ ſui generis ſequuntur greges. Ut bos armenta, ſic ego bonos viros: aut eos, quicunque dicentur boni, ſequar, etiam ſi ruent. Quid ſit optimum, malè contractis rebus, planè video. Nemini eſt enim exploratum, cùm ad arma ventum eſt, quid futurum ſit: at illud omnibus, ſi boni victi ſunt, nec in cæde principum clementiorem hunc fore, quàm Cinna fuerit; nec moderatiorem, quàm Sylla, in pecuniis locupletium. [14] Ἐμπολιτεύομαί σοι jamdudum: & facerem diutiùs, niſi me lucerna deſereret. Ad ſummam, *Dic*, *M. Tulli.* Aſſentior Cn. Pompeio, id eſt, T. Pomponio. [15] Alexim, humaniſſimum puerum, niſi fortè, dum ego abſum, adoleſcens factus eſt, (id enim agere videbatur) ſalvere jubeas velim.

12. *Gaditanum*] L. Cornelium Balbum à Theophane Mitylenæo. IDEM.

13. *E lege*] A decem tribunis lata. *Ratio*, abſentis, in petitione conſulatûs. MAN.

14. Ἐμπολιτεύομαί σοι] Tecum ago de Republicâ.

15. *Alexim*] Servum Attico jucundum. Vide lib. V. epiſt. 20.

CICERO ATTICO SAL.

8 QUID opus eſt de Dionyſio tam valde affirmare? an mihi nutus tuus non faceret fidem? ſuſpicionem autem eò mihi majorem tua taciturnitas attulerat, quòd & tu ſoles conglutinare amicitias teſtimoniis tuis; & illum aliter cum aliis de nobis locutum audiebam. Sed prorſus ita eſſe, ut ſcribis, mihi perſuades: itaque ego is in illum ſum, quem tu me eſſe vis. Diem tuum ego quoque ex epiſtola quadam tua, quam incipiente febriculâ ſcripſeras, mihi notaveram; & animadverteram,

ram, posse, pro re nata, te non incommodè ad me in Albanum venire III Nonas Jan. sed, amabo te, nihil incommodo valetudinis feceris. Quid enim est tantum in uno, aut altero die? Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus coheredibus esse in triente; sed juberi mutare nomen. Est [1] πολιτικὸν σκέμμα, rectúmne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento. Sed id [2] φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, cùm sciemus, quantum quasi sit *in trientis triente*. Quod putasti fore, ut ante quàm *illuc venirem*, Pompeium viderem; factum est ita: *nam VI Kal.* ad Lavernium me consecutus est. Unà Formias *venimus*, & ab hora octava ad vesperum secretò collocuti sumus. Quod quæris, ecqua spes pacificationis sit: quantum ex Pompeii multo & accurato sermone perspexi, ne voluntas quidem est. Sic enim existimat, si ille, vel dimisso exercitu Consul factus sit, [3] σύγχυσιν τῆς πολιτείας fore. Atque etiam putat eum, cùm audierit contra se diligenter [4] parari, Consulatum hoc anno neglecturum, ac potiùs exercitum provinciámque retenturum. Sin autem ille fureret, vehementer hominem contemnebat; & suis, & Reipublicæ copiis confidebat. Quid quæris? etsi mihi crebrò [5] ξυνὸς ἐνυάλιος occurrebat; tamen levabar curâ, virum fortem & peritum, & plurimùm auctoritate valentem audiens πολιτικῶς de pacis simulatæ periculis differentem. Habebamus autem in manibus Antonii concionem, habitam x Kal. Januar. in qua erat accusatio Pompeii usque à toga pura, querela [6] de damnatis, terror armorum: in quibus ille, Quid censes, aiebat, facturum esse ipsum, si in possessionem Reipublicæ venerit, cùm hæc Quæstor ejus infirmus & inops audeat dicere? Quid multa? non modò non expetere pacem istam, sed etiam timere visus est. [7] Ex illa autem sententia, ira relin-

1. Πολιτικὸν σκέμμα] *Consideratio ad statum Reipublicæ pertinens.*

2. Φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν] Meliùs philosophorum more dijudicabimus.

3. Σύγχυσιν τῆς πολιτείας] Conturbationem Reipublicæ.

4. *Parari*] Ut ejus ratio absentis ne habeatur. Manutius.

5. Ξυνὸς ἐνυάλιος] Mars communis.

6. *De damnatis*] A Pompeio III. Cos. præsertim de ambitu. Corrad.

7. *Ex illa*] Locum esse mendosum agnoscunt omnes: quem sic emendabat Octavius Pantagathus, *Mea autem sententia non relinquendæ urbis movet hominem.* Semper enim censuit Cicero in urbe atque in Italiâ manendum: quod Pompeius non libenter audiebat. Hanc verò conjecturam non infirmis tuetur argumentis Malaspina, eámque in contextum Lambinus introduxit. Nos, quibus non est circa frontem

quendæ urbis movet hominem, ut puto. Mihi autem moleſtiſſimum eſt, quòd ſolvendi ſunt nummi Cæſari, & inſtrumentum triumphi eò conferendum. Eſt enim [8] ἄμορφον, ἀντιπολιτευομένῳ χρεοφειλέτῃ eſſe. Sed hæc, & multa alia coràm.

frontem æs triplex, Pantagathi fœtum pro Tulliano ſupponere nolumus: ſed miſſis aliorum interpretum nugis quàm plurimis, locum, ut eſt, corruptum exhibemus. OLIVETUS.

8. Ἄμορφον] Non decet, ejus qui contrariæ ſit factionis, debitorem eſſe.

CICERO ATTICO SAL.

9 QUOTIDIE-NE, inquis, à te accipiendæ literæ ſunt? Si habebo cui dem, quotidie. At jam ipſe ades. Tum igitur, cùm venero, deſinam. Unas video mihi à te non eſſe redditas; quas L. Quintius familiaris meus cùm ferret, [1] ad buſtum Baſili vulneratus & deſpoliatus eſt. Videbis igitur num quid fuerit in his, quod me ſcire opus ſit: & ſimul tu hoc [2] διευκρινήσεις πρόβλημα ſanè πολιτικὸν: cùm ſit neceſſe, aut haberi Cæſaris rationem, illo exercitum vel per Senatum, vel per Tribunos plebis obtinente; aut perſuaderi Cæſari, ut tradat provinciam atque exercitum, & ita Conſul fiat; aut, ſi id non perſuadeatur, haberi comitia ſine illius ratione, illo patiente, atque obtinente provinciam; aut, ſi per Tribunos plebis non patiatur, & tamen quieſcat, rem adduci ad interregnum; aut, ſi ob eam cauſam, quòd ratio ejus non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere; illum autem initium facere armorum, aut ſtatim nobis minùs paratis, aut tum, cùm comitiis, amicis ejus poſtulantibus, ut è lege ratio habeatur, impetratum non ſit: ire autem ad arma, aut hanc unam ob cauſam, quòd ratio non habeatur; aut additâ causâ, ſi fortè Tribunus plebis Senatum impediens, aut populum incitans, notatus, aut Senatus-conſulto circumſcriptus, aut ſublatus, aut expul-

1. *Ad buſtum Baſili*] Aſconius in orat. pro Milone: *Viâ Appiâ eſt prope urbem monumentum Baſili* (aliàs Baſilii) *qui locus latrociniis fuit perquàm infamis.*

2. Διευκρινήσεις] Solves quæſtionem, quæ magnam requirit prudentiam.

expulsus sit, dicénsve se expulsum [3] ad illum confugerit: susceptо autem bello, aut tenenda sit urbs, aut eâ relictâ, ille commeatu, & reliquis copiis intercludendus: quod horum malorum, quorum aliquod certè subeundum est, minimum putes. Dices profectò, persuaderi illi, ut tradat exercitum, & ita Consul fiat. Est omnino id ejusmodi, ut, si ille eò descendat, contra dici nihil possit: idque eum, si non obtinet ut ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror. Nobis autem, ut quidam putant, nihil est timendum magis, quàm ille Consul. At sic malo, inquies, quàm cum exercitu. Certè. Sed istuc ipsum sic, magnum malum putet aliquis: neque ei remedium est ullum. Cedendum est, si id volet. Vide consulem illum iterum, quem vidisti consulatu priore. At tum imbecillus plus, inquis, valuit, quàm tota Respublica. Quid nunc putas? & eo consule, Pompeio [4] certum est esse in Hispania. O rem miseram! si quidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest; & quod ille si faciat, jam jam à bonis omnibus summam ineat gratiam. Tollamus igitur hoc, quò illum posse adduci negant. De reliquis, quid est deterrimum? concedere illi, quod, ut [5] idem dicit, impudentissimè postulat. Nam quid impudentius? tenuisti provinciam per decem annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso per vim, & per factionem datos. Præteriit tempus, non legis, sed libidinis tuæ: fac tamen, legis. Ut succedatur decernitur: impedis; & ais, Habe mei rationem. Habe tu nostrûm. Exercitum habeas diutius, quàm populus jussit, invito Senatu? Depugnes oportet, nisi concedis. Cum bona quidem spe, ut ait [6] idem, vel vincendi, vel in libertate moriendi. Jam si pugnandum est; quo tempore, in casu; quo consilio, in temporibus situm est. Itaque te in ea quæstione non exerceo. Ad ea, quæ dixi, affer si quid habes. Equidem dies noctésque torqueor.

3. *Ad illum confugerit*] Ad Cæsarem, ut M. Antonius, & Q. Cassius. Vide Ep 11. lib. XVI. Fam. Corradus.

4. *Certum est*] Deliberatum est. Man.

5. *Idem*] Qui affirmat Cæsare consule se futurum in Hispaniâ. Idem.

6. *Idem*] Pompeius qui tanquam optimatum princeps inducitur in hac ep. Id.

CICERO ATTICO SAL.

II SUBITO consilium cepi, ut, ante quàm luceret, exirem; ne qui conspectus fieret, aut sermo, lictoribus præsertim [1] laureatis. De reliquo, neque hercule quid agam, nec quid acturus sim, scio: ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi [2] consilii. Tibi verò quid suadeam, cujus ipse consilium expecto? Cnæus noster quid consilii ceperit, capiátve, nescio, adhuc [3] in oppidis coarctatus, & stupens. Omnes, si in Italia consistat, erimus unà: sin cedet, consilii res est. Adhuc certè, nisi ego insanio, stultè omnia & incautè. Tu, quæso, crebrò ad me scribe, vel quod in buccam venerit.

1. *Laureatis*] Ut triumphum expectantibus. Epist. 16. lib. II. Fam. CORRAD.

2. *Consilii*] Urbis relinquendæ. IDEM.

3. *In oppidis*] Campaniæ. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

III QUÆSO, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebræ sunt. [1] *Cingulum*, inquis, *nos tenemus. Anconem amisimus. Labienus discessit ab Cæsare.* Utrùm de imperatore populi Romani, an de Annibale loquimur? ô hominem amentem & miserum, qui ne umbram quidem unquam [2] τοῦ καλοῦ viderit! atque hæc ait omnia facere se dignitatis causâ: ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? Num honestum igitur, habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes civium, quo facilior sit aditus ad patriam? [3] χρεῶν ἀποκοπὰς, [4] φυγάδων καθόδους, sexcenta alia scelera moliri, [5] τὴν θεῶν μεγίστω ὡς' ἔχειν

1. *Cingulum*] Oppidum. CORRAD.

2. *Τὸ καλὸν*] Honesti.

3. *Χρεῶν ἀποκοπὰς*] *Tabulas novas.* Dicuntur *novæ*, quòd nomina aliter, & resectâ parte aliquâ, in iis scribantur, tanquam argentum pro ære, hoc est, 25. pro 100, ut est apud Sallust. Bell. Catil.

4. *Φυγάδων*] Exulum restitutiones.

5. *Τῷ θεῶν*] *Ut tyrannide potiatur, quæ inter Deos est maxima.* Euripides.

6. *Tuo sole Lucretino*] Horatius, *Velox amœnum sæpè Lucretilem*, &c.

7. *Quid, si tu velis*] Quasi dicat: si tyrannidem velis, quod volueris tamen non assequêre, ideóque fortasse, ô Cicero, non vis. MANUTIUS.

8. *Ἐνχολάζω σοι*] *Scholam tibi explico*: hoc est, Philosophorum more quasi per otium disputans tibi scribo.

9. *Ad nostrum*] Pompeium. CORRAD.